DI TORI
Digitized by Google



Digitized by Google

a 11 120

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

FORENSI JUDAEORUM
BUCCINA

COMMENTARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google


CASTI INNOCENTIS
ANSALDI
ORDINIS PRAEDICATORUM

DE

FORENSI JUDAEORUM
BUCCINA
COMMENTARIUS.

Excudebat BRIXIAE Johannes-Maria Rizzardi
M. D. CCXLV.
SUPERIORUM AUCTORITATE.

Digitized by Google



PRÆSTANTISSIMO AC GENEROSO VIRO

FRANCISCO
RONCALLI PAROLINO
COMITI REGIS POLONIAE

CASTUS INNOCENS ANSALDUS

QUIDNAM cauſſæ fuerit, ut Tibi, PRÆSTANTISSIME COMES, hunc Librum inſcriberem, ſtatim citra ambages ac candide aperiam. Ex quo inclytam hanc Ur-

Digitized by Google

Urbem incolere, Teque cognoſcere ac coram alloqui mihi contigit, amplam illam virtutum ſegetem, quæ Tibi omni loco & tempore, præclari inſtar ſatellitii, famulantur, demiratus, ex illo me beatum fore, ſi quando tuum etiam patrocinium mihi conciliandi copia fieret, ſatis perſuaſum habui; Tuo potiſſimum animi candore, quam primam ſapientiam appellare auſim, & præſertim in Mœcenatibus requirendam, illectus, ac mirifice captus. Quum igitur meum *De Forenſi Judæorum Buccina Commentarium* elucubrarem, ac typis mandandum pararem, mihi Ipſe ſcribenti in oculis eras, ad Te mea conſilia ſpectabant, ac demum mihimetipſi gratulabar oblatam id, quod erat in votis, nanciſcendi occaſionem. Mecum enim reputabam, & quodam veluti œſtro percitus more Poetarum, haud perperam mihi facturus videbar, ſi clangentibus famæ tubis, quibus Tuum Nomen ubique terrarum celebratur, recutitorum etiam Buccinam quodammodo ſociandam ac permiſcendam curarem.

Re-

Digitized by Google

Revera cujus aures aut oculi ita peregrinantur, ut neſciat, quanto in pretio apud homines cultioris Orbis, ſive univerſæ Europæ habearis? Percurrantur ea, quæ Viri Doctiſſimi Tibi nuncuparunt, quæ de Te ſcripta reliquerunt, percurrantur Acta, Ephemerides, & quidquid hujuſmodi magnos ac celebres Viros, eorumque fœtus recenſere conſuevit, ſi quis tuæ gloriæ, quæ longe lateque pervagata eſt, veſtigia cupit deprehendere. At ſine, VIR undequaque CLARISSIME, me aliquantulum indulgere mihi, & vela pandere, vel ab ipſis Tuæ adoleſcentiæ primordiis nonnulla repetentem, non quod facta & decora alta verbis me equare poſſe mihi adrogem, ſed ut magis magiſque meum erga Te obſequium teſtatum relinquam, & ſimul qualem quantumque Auſpicem mihi paraverim, plenius innoteſcat. Et profecto quid nominis geſſeris in humanioribus literis ſtudiiſque iis, quibus Juvenes imbui ſolent, teſtes eſſe poſſunt cum æquales Tui, qui eodem in ſtadio tecum, ſed non paſſibus æquis decur-

cur-

currentes, Tibi primas concedebant, tum Præceptores Tui, qui in Te, quo eras ingenii acumine ac diſcendi ardore, magnum ſe laborum fructum in dies capere fatebantur. Quam libens, ſi ætas ac tempora utriuſque noſtrum id paſſa eſſent, affuiſſem & ego egregio illi certamini, quo Philoſophicas Theſes Deiparæ, quam uſque a teneris præcipue coluiſti, dicatas publice propugnaſti, eaque animi alacritate, ut jam tum portenderes, quid de Te annorum proceſſu expectandum foret! Sed hæc atque alia hujus generis in liberalibus Diſciplinis lineamenta, quæ ſpecimina futuræ magnitudinis erant, leviter ac curſim attingo, ad majora properans, quæ tacitum me præterire nefas exiſtimarem. Atque utinam fines Epiſtolæ præſcripti facultatem mihi liberius expatiandi permitterent, neque alia ex parte modeſtia Tua reluctaretur. Nam pronum mihi eſſet ejuſmodi tabellam, quæ Te intus & in cute repræſentaret, exhibere, ut omnes, quotquot legerent, inſpicerentque, raperet in admi-

ra-

Digitized by Google

rationem Tui. Itaque illam morum integritatem, in utraque fortuna conſtantem æqualitatem ac moderationem, comitatem in Amicos, in univerſum hominum genus facilitatem, ac de omnibus benemerendi innatam cupiditatem, illud veritatis prætefereпdæ ſemper ac tuendæ, non involucris atque integumentis fucandæ, propoſitum, cetera denique ornamenta, quibus præcordia tua, de meliore luto ficta, abundant, ſatis innuiſſe contentus, aliqua ex iis delibabo, quæ ex vena tam divite profluxerunt. Et ſane ejus vitæ genus, quam nunc ducis, olim etiam Te duxiſſe, cum Tui juris, cuſtode remoto, factus fuiſti, oſtendunt ea ſtudia & curæ, in quibus totus eras, ut Patriæ unice carus atque utilis efficerere. Quamobrem de Te illud idem prædicare poſſumus, quod de ſeipſo Romanæ Pater eloquentiæ dictitabat, quod nempe temporis alii in ludo, in aleis, & conviviis inſumebant, totum abs Te tunc impendi in diſcendis ac comparandis non tantum humanitatis, verum etiam

altioris ordinis Diſciplinis, cujuſmodi ἐγκυκλο-παιδίαν in Te eſſe fidem faciunt Opera, quæ poſtmodo in lucem edidiſti, qua ſacram, qua profanam, omnigenamque uno verbo eruditionem redolentia. Tali vitæ inſtituto, & melioris notæ Scriptorum aſſiduæ lectioni, quemadmodum etiam doctorum Virorum commercio ac familiaritati, quibus apprime ſemper delectatus es, accepti referri debent Tractatus illi *De Aquis Brixianis*, & *De Aquis Coldoni*, auro contra æſtimandi, quos florenti ac viridi ætate excudendos curaſti, adeo defæcatos, puroque ac puto ſermone conſcriptos, eaque facundiæ vi ac copia dicendi, ut ſæculi aurei nitorem, elegantiam, ac divitias æmulentur, meritoque a ſapientiſſimo calamo atque ore EMINENTISS. CARDINALIS QUIRINI elogia haud ſemel elicuerint. Quem ſtuporem prælo egreſſi excitarunt! lætante interim Brixia, ac nihil non de tanto Alumno ſibi in poſterum pollicente. Quare non eſt mirandum, ſi eorundem exemplaria adeo rara facta ſunt, ut vix unum ali-

quod

quod uſpiam invenire liceat. Ab eadem vivendi ſtudendique ratione profecta nemo non videt alia monumenta, quibus literariam deinceps Rempublicam locupletaſti, ad publicum humani generis bonum collimantia, & ſolidis jactiſque alte Philoſophiæ, Chimiæ, Matheſeos, nec non Theologiæ [cujus rei præcipuum ſpecimen videre eſt in altera quatuor illarum pulcherrimarum Diſſertationum, quas quinque abhinc annis luce donaſti] fundamentis ſuperſtructa, quorum Indicem hic texere ſuperſedeo, quippe quæ ſunt alibi indicata. Sed mihi temperare non poſſum quominus ſaltem poſtremum, eumque ſplendidiſſimum, Tui ingenii fœtum collaudem *Hiſtorias*, inquam, *Morborum* Tuis ſumtibus non ita pridem evulgatas, ea characterum, chartæ, tabularum ex ære inciſarum, & ceterorum adjunctorum forma, & magnificentia, ut ſi dixero editionem hanc quibuſcumque aliis nitidioribus, ſive patriis ſive exteris non comparandam modo, ſed fortaſſe anteponendam, verum dixero. Quo

factum eſt, ut vel ipſe Pontifex Optimus Maximus Benedictus XIV. eam ſibi oblatam benigne excipere dignatus fuerit, meritiſque Auctorem laudibus commendaverit. Sed ut redeam, unde proxime digreſſus ſum, quum novum & grande per Te undequaque Patriæ decus acceſſiſſet, par erat, ut & Ipſa ſuum de Te judicium publico aliquo teſtimonio firmaret. Itaque fecit, præeunte inclyta Bononienſium Urbe, quæ Te in Academiam Inſtituti Scientiarum ultro adſciverat. Præter enim plura illa Septem-Virorum Brixiani Senatus honorificentiſſima decreta, quibus Te condecoravit, ſumma inſuper conſenſione Patrum Te Nobilium Medicorum Collegio, id læte acceptantium, ex meritis aggregavit, patritii ejus ordinis Præſidem non multo poſt cunctis ſuffragiis renuntiatum: quod omnibus Civibus jucundiſſimum fuit, Te veluti univerſam Artium Academiam in tuo unius pectore claudentem, ac efformatum in virtutum omnium ſpeculum ſuſpicientibus, ideoque nullo non

ho-

Digitized by Google

honore dignum judicantibus. Quid ni? quum videant conſilia tua apud extraneas quoque diſſitaſque regiones tanti fieri, ut abs Te, ſi quid lubricum ac periculoſum accidit in humana valetudine, tamquam ex tripode, reſponſa petantur, ac frequenter evenire, ut illæ Te accitum, ac probatum, Brixiæ invideant, eamque beatam hoc nomine de prædicent. Hinc non eſt mirandum, Te Epiſtolis Magnatum, Primatumque, Epiſcoporum, Cardinaliumque identidem conveniri, Te præſertim apud Septentrionales plagas optime audire, atque illinc virtuti Tuæ præmia debita impertiri. Jam notum eſt, atque inſuper in XXXII. Tomo, quem Cl. Vir, Publicus Librorum Venetiis Reviſor, idemque pretioſorum Opuſculorum Collector hoc anno Tuis ſub auſpiciis evulgavit, relatum ſingulare atque luculentiſſimum Diploma, diſtinctiſque characteribus excuſum, quo, aureis argenteiſque extra, Regiis vero intra inſignibus ornato, Te Magnanimus Potentiſſimus Poloniæ Rex Augustus III. Tuæ

Sa-

Sapientiæ Tuorumque meritorum fama permotus ultro honeſtavit. Eo ſiquidem propriis manibus ſubſcripto, præſentibuſque Status Adminiſtris Principibus, & Epiſcopis, Te Tuoſque Poſteros ad Comitum dignitatem extulit, & Comitibus Sacri Romani Imperii, ceteriſque omnibus ex vetuſta progenie ortis æquiparavit, ſimileſque in juribus, gratiis, & honoribus conſtituit. Atque hic non poſſum, quin mea hac Epiſtola, rudi quidem ac pingui, ſed tamen obſequii ac veri ſimul plena, gratuler Tibi collatam, Tuoque antiquo Stemmati inſertam & ſuperpoſitam Aquilam albam Polonam Coronatam, ab aliaque Corona ſurgentem Galeæ bucculatæ inſiſtentem [Primarium Regni Decus] quam collo humeriſque appenſam Regii ſanguinis Principes geſtant, Magnis Perſonis tantummodo conceſſam. Gratulor itidem [ecquis non gratuletur, ſi modo juſtus eſt honorum æſtimator?] nobilitatos a ſummo Monarcha Tuos paternos maternoſque Proavos, & Tecum una Familiam, Poſteroſque

aptos

Digitized by Google

aptos redditos ad ſubeundas quaſvis Eccleſiaſticas, & Sæculares, Equeſtres Gentilitiaſque dignitates, & ad ſuſtinendos gradus & honores, qui occaſione Sagi vel Togæ a Regibus, Principibus, auguſtis Senatibus, & ab iis omnibus, quos Deus altiore in gradu ſtatuit, diſtribui conſueverunt; hæcque omnia Sereniſſima Venetorum Republica approbante ac confirmante. Tantum vera virtus ac ſapientia valet; tanti eſt ſcribenda facere, & legenda ſcribere, eorumque unum paucorum eſſe, quos æquus amavit Jupiter, quoſque Plinius beatos vocabat. At tempus eſt vela contrahere, atque hanc, quæ Tibi forſan æquo longior videbitur, ideoque moleſta erit, nuncupationem claudere. Perge igitur, Comes Sapientissime, de Patria, imo de toto Orbe ſtudiis Tuis benemereri, inſignemque illum Theſaurum, quem ad Sæculi ingenium concinnas, propera ad umbilicum perducere. Vix enim dici poteſt, quibus votis homines ſciendi cupidi Magnum Opus expectant, ubi, dum de Practica præ-

cipua-

cipuarum Regionum medicina agitur, Climata obiter, Poli Septentrionalis gradus, populorum indoles, flumina, fontes, inventa, remedia, curandorum morborum ritus ad lancem revocantur, itaque utiliſſima facultas meliore in lumine collocatur, criticis animadverſionibus corrigitur, & quod plurimi faciendum, Sapientum, qui nunc vivunt, ſcriptis oraculiſque undequaque Tua diligentia conquiſitis, ſuoque apte loco digeſtis illuſtratur; adeo ut & hujus præſertim ætatis, & totius Europæ ars medendi cunctis omne in ævum ſit in propatulo futura. Ardua quidem provincia eſt, ſed non ſine numine Divum hunc uſque ad diem Tibi ſervata, ut Medica Ars a præjudiciis omnibus vindicata in univerſi Orbis emolumentum ac decus reſurgat, & concurrente per immenſa terrarum ſpatia animorum conſenſu & ſocietate, ſuper ſtabilius fundamentum erigatur. Perge, inquam, ut facis, tantæ rei molem ad finem promovere. Interim ego in ſolemnis obſervantiæ monumentum enixe orans, ut

meum

Digitized by Google

meum hunc Commentarium excipere ac Tuo patrocinio ſovere minime indigneris, longam Tibi incolumitatem ac vitam, unde communis pendet, a Superis precor. Vale, MOECENAS PRÆSTANTISSIME, valeant Tecum Tua cariſſima pignora COMITES CAROLUS, & CONSTANTINUS; Paterniſque veſtigiis & glorioſæ orbitæ inſiſtentes, Brixianæ Gentis decus etiam atque etiam augere tendant.

Dabam Brixiæ Idib. Februarii MDCCXLV.

Digitized by Google

Apparet ergo ex his, ut plurima, quæ vulgatiſſima ſunt, & omnium in ore, & quotidiani uſus nomina, reconditas habent notiones, & afferunt ad ſermonis copiam, quæ ſolum docti ac diligentes in legendo, ac ſcribendo cognovere.

Q. Marius Corradus Uritanus Libro III.
De Copia Latini Sermonis.

Digitized by Google

CONSPECTUS COMMENTARII.

FORENSIS *origo* Buccinæ *apud Hebræos in Deſerto, ejuſque uſus, Judicum ac Regum ætate adſervatus. Ex pene Democratica vero Judæorum Aſſamonæis ſub Principibus ac Romanis politia, forenſis uſus* Buccinæ *frequentior poſtrema eorum Reipublicæ tempeſtate. Frequentiſſimus nempe ætate illa, Judæorum erat in Gente, Concionum univerſi Populi uſus, & ille quidem pro Democraticis Græcarum Urbium moribus inſtitutus. Ejuſmodi Conciones ope* Buccinæ *fuiſſe convocatas haud eſſe dubitandum, quod ſuis tunc etiam Judæorum Magiſtratus Apparitoribus, Præconibus,* Buccinatoribus *gauderent. Oſtenſum illud etiam ex recta Interpretatione verborum Chriſti & Apoſtoli de Tuba univerſale ad Judicium vocatura. Aliquorum illo de ſonitu Opiniones. Vera Interpretatio D. Thomæ (cujus effatta in loco haud ſemel lata nobis Lucem adtulere differentibus) & aliorum Doctiſſimorum Virorum; alluſio videlicet ad mores Judæorum* Buccina *clangentium ad univerſi Conciones Populi cogendas. Univerſale Judicium juxta forenſes Judæorum formulas Sacris in Literis & a Sancti Patribus exhibitum. Quæ uſitata eiſdem docendi ratio ceteris confirmatur ex Evangelicis Judiciis forenſium ad normam rituum, ſuorum temporum de-*

ſcriptis. Judæos non Conciones modo pro Græcanicorum moribus Conventuum habuiſſe; verum ea etiam ratione, eoque determinato modo, quo Græcorum Tubicines ſuis ſe in Concionibus gerebant, ita & Judæorum Buccinatores *ſe geſſiſſe in Conventibus Hieroſolymorum. Ad forenſes Judæorum Tubicines alluſiſſe Angelos Apocalypſis ante quæcumque Judicia buccinantes. Forenſem revera Buccinatorem ad Concionem in qua Chriſtus damnatus eſt cogendam* Buccina *clanxiſſe. Hoc probari græco textu verborum Servatoris ad Diſcipulum: Antequam Gallus cantet, ter me negabis, ut quæ non de alitis cantu, ſed forenſi de Buccinatore intelligenda. De alite, Chriſti verba haud videri interpretanda ob Præceptum apud Judæos de non alendis in Urbe Sancta Gallis.* Hadriani Relandi *Conjectationes ad Præceptum illud vulgari cum Interpretatione componendum refelluntur. Accedit Evangeliſtarum diſſenſus in facto efferendo verbis Chriſti de alitis cantu interpretatis. Quanam ratione* Viri Doctiſſimi *Evangeliſtas hacce in re conciliare conati ſint. Quorum tamen Enarratione Geſtorum ſeries ſuſque deque vertitur. Hypotheſis* Altmanni *oppugnata.* Scaligeri *ac* Bocharti *illius de cantu alitis opinio ſingularis; aſt arbitraria prorſus ac incerta. Solutus ſatius ille nodus, verbis Chriſti forenſi de Gallo, ſive de forenſis Judæorum* Buccinatore *explicatis. Nonnulla quæ Sacris ad Hiſtoriam pertinent in Libris juxta Grammatices modo ac pervias Populi ſignificationes, aut præſentis ſecundum Ideas temporis haud videri ſtatim accipienda: Literas humanio-*

res

res Interpreti Oraculorum Sacrorum operam præſtare utilem, ſive res ipſas, ſive dicendi genera reſpiciamus atque formulas: Oportere eſſe doctum, ac rerum veterum ac morum peritiſſimum qui poſtulet ſe intelligere nonnulla quæ Chriſti in Judicio evenerunt: Fidem effati hujus facere apertiſſimam doctiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. *Opera Sapientiſſima, e quibus idonea non ſemel hoc adferuntur in Commentario teſtimonia. Chriſti ad Petrum verba homonymia laborare maxima. Gallorum nomine uſus* Lycophron *ad ſignificandos Græcos;* Æſchylus *ad Athenienſes denotandos. Cares milites apud* Poliænum *Galli appellati. Aliquando vox Græca (proprie quæ Gallus) denotavit Conjugem; Innuptam aliquando, uti apud* Athenæum. *Hominum nonnulli apud Græcos etiam, Galli appellati. Upupa Gallus dicta, uti & Gemma hujus nominis. Græcorum quidam nummus apud* Platonem, *&* Sophoclem *Gallus appellatus.* Demades *celebris Orator publicum Athenienſium Tubicinem, publicum eſſe dicebat Athenienſium Gallum; eumque popularem quendam evaſiſſe dicendi modum latiſſime oſtenſum, quod frequentiſſimus ejuſdem fuerit Comicos apud Vates uſus, præſertim apud* Ariſtophanem. *Semel, & iterum notatus vetus* Scholiaſtes. *Etymologia nominis exhibita. Gallus albus, ex mente* Pythagoræ *apud* Suidam, *idem ac Fori Buccinator. Haud alium videri Gallum apud* Auctorem Apoſtolicarum Conſtitutionum; *quam publicum Buccinatorem exorientis Lucis, & adventantis Auroræ ſignum dantem. Jure ac merito Præcones illo*

Digitized by Google

lo nomine donatos, quod Græcarum Urbium *Tubicines antelucano tempore vocare ad Forum Judices, Clientes, Cauſidicos, & ad Concionem univerſum Populum ſolerent, idque præſtare Tuba ſua, quod ſuo quoque præſtare clangore ſolent aut feruntur Vigiles nocturni, quos in excitandis in* Opera *mortalibus rumpendoque ſomno natura genuit. Heinc Gallum inter, & Tubicinem olim mutua Catachreſis. Ipſa denique* Buccina *a Græcis aliquando Gallus appellata, quod eruere ex idonea aliquorum eſt interpretatione carminum* Jonis *apud* Athenæum. *Verba, Antequam Gallus iterum cantet, receptiſſimum apud Græcos,* Eraſmi *teſtimonio, Proverbium, quo nempe alluſione facta ab buccinandi morem Concionibus cogendis, ſignificare ſoliti olim fuiſſe videntur Græci: Antequam Judicium de re fiat: Antequam Judex damnet: Antequam determinatum quid de re ſtatuatur: Antequam res Judicio committatur publico; aut ſimile quid in Concione fieri quod ſoleret, ope forenſis Galli* Buccinatoris *nempe convocata; quod idem ſub involucro, ac, Antequam habeatur Concio, vel, Antequam de more, forenſis Buccinator Tuba clangat. Ob verborum igitur illorum homonymiam, uti & ob frequentes Linguarum Orientalium alluſiones, non ex auctoritate ſemper atque Lexicis, ſed ex loci exigentia, ex adjectis, ac præcipue ex verborum emphaſi eruendam eorum ſignificationem: ideoque enarrata vi, quam in loco verba Servatoris habent, ac ratione adjectorum habita atque explicata, eadem (qua Helleniſmum, ſeu potius Hebraiſmum ſapere oſtenduntur) forenſi*

de

Digitized by Google

de Tubicine *videri dicimus interpretanda. Convocandum ſiquidem erat in Judicio Chriſti Agmen univerſum, pro Jure Populi apud Veteres in Reis ſolennioribus damnandis; quare rejectis eorum, qui Judæis, tempore mortis Chriſti, aut jus gladii ſimpliciter concedunt, aut etiam qui negant aut dubitant ſententiis, & haſce ſub diſtinctione inter ea quæ ad Religionem, & ea quæ ad Regium jus pertinebant, conciliare pergente (quæ* Bacchinio *niſi ortum, incrementum tamen debet ſuum) oppugnata, Chriſtum dicimus in* Concione Populi *damnatum, cui praeeſſe debuerit Pilatus. Inſigne ſapientiſſimi Pontificis* BENEDICTI XIV. *ea de re teſtimonium: Quæ ſacrarum etiam Literarum ac Patrum ſententiis confirmatur, maxime vero Oraculis Prophetarum de Chriſto. Objectum ex Lingua Chriſto vernacula deſumptum ſolvitur feliciter. Hebraicam Phraſim in re qua de agimus ejuſdem fuiſſe ac Græcam homonymiæ. Apud Latinos etiam, forenſi olim dicendi modo,* Gallum *ſignificaſſe publicum Præconem. De origine vulgaris ſenſus Evangeliſtarum verbis denique tributi. Pulcherrima in rem noſtram S. Hieronymi doctrina ac ſententia, cui addimus Opiniones nos noſtras haud pronuntiatas velle ceu ex Tripode effata, ſed imo eaſdem eorum quorum eſt docere ac ſtatuere judicio optare libentiſſime ſubjectas. Sparſim de materia ac figura* Buccinæ, *deque multiplici ejuſdem, cum apud Judæos, tum apud Græcos etiam, ac Latinos nomine. Duabus uſos* Buccinis *veteres Hebræos, quarum una ſignum dante conve-*

niebant

niebant Principes ad conſultandum de rebus ſuis, utraque vero Populum convocabat univerſum. Machabaica poſt tempora, pro forenſibus Græcorum moribus, diſcrimen apud Judæos obtinuiſſe quoque, ſtatas inter Conciones, ordinaria nempe Judicia, & Conciones Populi repente convocatas: ad illa ſemel Tubicinem clanxiſſe, iterato autem ad poſteriores congregandas. De Buccinæ *ſonitu atque clangoris modo quo Conciones Judæi ac Græci convocabant. Quonam in loco* Buccinator *Judæorum Tuba clanxerit ad Populum in Judicium vocandum. Quod uſque ad Tempus forenſi* Buccinatore *gaviſi ſint Judæi.*

DE

Digitized by Google

DE
FORENSI JUDAEORUM BUCCINA
COMMENTARIUS.

I. **F**ORENSIS BUCCINAE originem Numinis Majeſtati aſſeruit Judæorum Legumlator Moſes, cujus hæc tradit verba: *Fac tibi* DUAS TUBAS *argenteas ductiles quibus convocare poſſis multitudinem ..... Si ſemel clangueris, venient ad Te Principes & Capita multitudinis Iſrael ..... Quando autem congregandus eſt Populus, ſimplex* TUBARUM *clangor erit, & non conciſe ululabunt.* (1) Flavius Joſephus rem effert his verbis: Εὗρε δὲ ϗ Βυκάνης τρόπον, γίνονται δὲ δύο, ϗ τῇ μὲν ἑτέρᾳ πρὸς παρακέλευσιν, ϗ συλλογὴν ἐχρῶντο τοῦ πλήθους πρὸς τὰς ἀρχὰς συνελθεῖν σκεψαμένας περὶ τῶν οἰκείων, ἀμφοτέραις δὲ συνῆγε τὸ πλῆθος. (2) *Primus autem* (Moſes) & BUCCINAE *formam excogitavit. Duæ autem factæ ſunt: & altera quidem ad Populum exciendum, & in* CONCIONEM *congregandum utebantur. Etenim una ſignum dante Principes convenire oportebat ad conſultandum de rebus ſuis: utraque vero* POPULUM *concitabat univerſum.* Moſis igitur TUBAS, haud aliud quam BUCCINAS fuiſſe intelligimus, uti Viri præſtantiſſimi ea ad teſtimonia ſatis atque uberrime oſtenderunt; (3) ea maxime de cauſſa, quod recitata poſt verba, figuraque BUCCINAE uti a Tuba diſtinguitur deſcripta, ſubjiciat Joſephus: *ἀσωσρὰ καλεῖται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν.* (4) BUCCINA, *Hebraica*

A *lin-*

(1) Numer. X. 2. & ſeq.
(2) Ariſtot. Lib. Politic. III. Cap. 4.
(3) Malvend. ad loc. Num. Havercamp. ad loc. Flav.
(4) Lib. Antiq. Jud. III. Cap. 12.

Digitized by Google

lingua vocatur Aſoſra; quod proprium Tubæ nomen. Infinitis etiam in teſtimoniis BUCCINA, Græca lingua, Σάλπιγξ appellatur. Nos ejus de forma in loco diſſeremus. Illa vero POPULUM convocandi apud Hebræos conſuetudo pro vetuſtiſſimorum obtinebat agendi ratione Principum, ſeu Regum Populis, nonniſi determinatis quibuſdam ſub legibus parere volentibus, imperantium; unde recte Vetus ille: *Βασιλείας μὲν οὖν εἴδη ταῦτα, τέτταρα τὸν ἀριθμόν. μία μὲν ἡ περὶ τοὺς Ἡρωικοὺς χρόνους. αὕτη δ' ἦν ἑκόντων μὲν ἐπί τισι διωρισμένοις.* (1) Quare Concilium ex Optimatibus ejuſmodi Reges, ſeu Principes habebant, *Βουλευτήριον ἦν ἐκ τῶν κρατίστων·* (2) quæque pro recte adminiſtranda Republica ceperant cum Optimatibus conſilia POPULO denunciabant *ἀπήγγελον τῷ δήμῳ,* (3) cujus exempla rei Homericis non ſolum in Heroibus, ſed poſteriores etiam apud Hiſtoricos, (4) proſtant frequentiſſima.

II. Hæc ſane priori Reipublicæ tempeſtate. Licet autem Judices nonnulli, ac Reges Hebræorum pæne omnes, haud ex præſcripto Legis, ſed ex arbitrio potius Rempublicam gubernaſſent, & raro Principes ac POPULUM conſuluiſſent, credibile adhuc tamen eſſe remur, etiamſi id aperte in Judicum ac Regum Hiſtoria expreſſum non ſit, quod jejune adeo ſcripta videatur, ut vix ſucceſſionem eorum, ac bella geſta quædam adtigerit, credibile, inquam, eſſe remur, Judices ac Reges, ſi quando Senatum, aut CONCIONEM POPULI habuerunt (neque enim obſtare id ulla ratione poterat, quin, Romanorum iſtar Cæſarum, Concionem Populi aliquando convocantium, ex ſui tantum animi ſententia adhuc omnia peragerent) BUCCINA ad Principes ac Cives convocandos ſignum fieri juſſiſſe. Si enim eorum ſub Imperio, juxta Numinis in-

(1) Ariſtot. Lib. Politic. III. Cap. 11.
(2) Dionyſ. Halicarnaſ. Lib. II.
(3) Ariſtot. Lib. Moral. III. Cap. 5.
(4) Plutarch. Vit. Romul.

Digitized by Google

inſtitutum, in bello indicendo Judæi buccinabant, inque diebus feſtis annuntiandis, ac ceteris in Convocationibus, cur non buccinaſſent ad Senatum etiam, ad CONCIONEM convocandam, quum id quoque præceptum a Numine fuiſſet?

III. Ut ſtatis adhuc tamen de Judiciis fuerit, evidentiſſimum profecto eſt, Judicum etiam ac Regum ætate, ſubitarias ſaltem quaſdam ſuper nonnullis magni momenti rebus, ac veluti extraordinarias habitas fuiſſe POPULI CONCIONES, quas etiam BUCCINAE ope fuiſſe convocatas innumera docent ſacrorum Librorum teſtimonia: *Cum cœperit clangere* BUCCINA *tunc aſcendant in montem*. (1) *In die illa clangetur in* TUBA MAGNA, *& venient qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui ejecti erant in terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte Sancto in Jeruſalem*. (2) *Et David & omnis Domus Iſrael ducebat Arcam Teſtamenti Domini in jubilo & in clamore* BUCCINAE. (3) *Annuntiate in Juda, & in Jeruſalem auditum facite: loquimini & canite in* TUBA *in terra: clamate fortiter & dicite: Congregamini & ingrediamur Civitates munitas*. (4) *Confortamini filii Beniamin in medio Jeruſalem, & in Thecua clangite* BUCCINA, *& ſuper Bethaven levate vexillum: quia malum viſum eſt ab Aquilone, & contritio magna*. (5) *Levate ſignum in terra, clangite* BUCCINA *in Gentibus, annuntiate contra illam Regibus Ararat, Menni, & Aſcenez: numerate contra eam Taphar, adducite equum quaſi Bruchum aculeatum*. (6) *Ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit* BUCCINA, *& annuntiaverit Populo*. (7) *Canite* TUBA *in Sion, ululate in monte San-*

(1) Exod. XIX. 13.
(2) Iſai. XXVII. 13.
(3) II. Reg. VI. 15.
(4) Jerem. IV. 5.
(5) Jerem. VI. 1.
(6) Jerem. LI. 27.
(7) Ezech. XXXIII. 3.

Digitized by Google

cto meo, conturbentur omnes habitatores Terræ, quia veniet dies Domini, quia prope eſt. (1) *Canite* TUBA *in Sion, ſanctificate Jejunium, vocate Cœtum, congregate Populum, coadunate Senes, congregate Parvulos ſugentes ubera.* (2) *Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit ut fulgur jaculum ejus: & Dominus Deus in* TUBA *canet, & vadet in turbine Auſtri.* (3) Quæ profecto omnia, uti cetera etiam, quæ in medium ferri facile poſſent teſtimonia, ad CONCIONES SUBITARIAS UNIVERSI POPULI alludunt, Judicum etiam ac Hebræorum Regum ætate, ope BUCCINAE convocatas.

IV. Nec deſunt immo facta, quibus id etiam confirmetur vehementer. Legimus ſiquidem in Libro Judicum: *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens* BUCCINA, *convocavit Domum Abiezer, miſitque Nuncios in univerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios Nuncios in Aſer, & Zabulon, & Nephtali, qui occurrerunt ei.* (4) Flavius autem Joſephus de Ehude loquens Iſraelis Populum a Moabitica ſervitute liberaturo, *Ehudes*, inquit, (5) *Jerichuntinis re clam indicata, ipſos hortabatur, ut ſe ſe in libertatem aſſererent. Illi vero libenter hæc accipientes, & ipſi ad arma accurrebant, & per totam regionem aliquos dimittebant, qui id* CORNUUM *ſonitu ſignificarent*, HISCE ENIM MOS EST PATRIUS CONVOCARE POPULUM. *καὶ διέπεμπον εἰς τὴν χώραν τοὺς ἀποσημαίνοντας κέρασιν ἐίων, τούτοις γὰρ συγκαλεῖν τὸ πλῆθος πάτριον ἦν.* Quibus, uti arbitror, ex teſtimoniis egregie Arias Montanus: CORNU, vel BUCCINA *ſonans, excitationem & hominum convocationem ad bellum præſertim ſignificat: quamquam & aliis etiam nominibus* CORNU *ſonatur, veruntamen ſemper monen-*

(1) Joel. II. 1.
(2) Joel. II. 15.
(3) Zachar. IX. 14.
(4) Judic. IV. 34. 35.
(5) Lib. Antiq. Jud. V. Cap. 4.

Digitized by Google

nendi cauſa. (1) Loquitur de ritu Arias, uti apud Hebræos obtinebat, ejuſdemque de moribus agens Gentis ſcripſit Druſius: *Accurrebat* POPULUS, BUCCINA *reſonante, vel ad audiendum aliquid, vel denique ad agendum, ſive conſultandum de Republica*, (2) unde & eadem de re demum Sigonius: *De ratione etiam*, inquit, (3) *convocandi* POPULI *ſcriptum fuit in Lege, ut cum* POPULUS *accitetur, vario Tubæ occentu advocaretur. Convenire autem conſuevit* POPULUS *tribus de cauſis, ad audiendum, ad orandum, & ad agendum*.

V. Frequentior fuit tamen FORENSIS uſus BUCCINAE poſtrema Reipublicæ tempeſtate. Reſtituta ſiquidem veteris politiæ forma, reſtitutis Babylonicam poſt captivitatem Judiciis, non ſubitarias modo, ſed ſtatas etiam nonnullas in CONCIONES POPULUS congregatus eſt. Novam, ita ut dicam, hanc Machabæorum tempore Reipublicæ formam, cum Hebræorum primæva prorſus convenire arbitratus eſt Bertramus. Quum enim antiquiſſimam illam ſub Moſe politiam, eodem jam modo temperatam ſtatuiſſet, quo Lacedæmonum altera perfectiſſima, adeo ut Regiam Moſes quodammodo, ſub Dei tamen veri tunc & unici Iſraelitarum Regis auſpiciis, habuerit poteſtatem: Septuaginta vero, Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii, & Decuriones Ariſtocraticam: Cives autem, univerſus videlicet POPULUS, Democraticam; (4) hæc de poſterioribus demum, ſubiicit, ſive Machabaica ad tempora pertinentibus Judæis „ Reſtitutam fuiſſe veterem Judæorum politiam ſub Jonatha, liquet ex eo, quod Legati iſtiuſmodi Romanis diſerte ſignificarunt, ſe miſſos a Jonatha ſummo Sacerdote, & GENTE JUDAEORUM: item & ex ipſa Literarum

(1) Comment. in Jerem.
(2) Lib. Obſerv. Sacr. XIV. Cap. 18.
(3) Lib. *De Rep. Hebræor*. VI. Cap. 3.
(4) Cap. VI. *De Repub. Hebræor*.

Digitized by Google

„ rum inſcriptione, quas per eoſdem Legatos Spartam ad
„ renovandum fœdus miſit : quæ his verbis concepta eſt:
„ Ἰωνάθαν ἀρχιερεὺς καὶ ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους, καὶ οἱ ἱερεῖς, καὶ λοιπὸς
„ δῆμος τῶν Ἰουδαίων, Σπαρτιάταις τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν. JONA-
„ THAS *ſummus Sacerdos, & Seniores Gentis, & Sacerdo-*
„ *tes, & reliquus Judæorum* POPULUS, *Spartiatis Fratri-*
„ *bus Salutem*. (1) Et apud Joſephum: Ἀρχιερεὺς Ἰωνάθης
„ τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἡ γερουσία, καὶ τὸ κοινὸν τῶν Ἰου-
„ δαίων ἐφόροις, καὶ γερουσίᾳ, καὶ δήμῳ, τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν. (2)
„ *Princeps Sacerdotum & Gentis Judæorum Jonathas, & Se-*
„ *niores, &* COMMUNE JUDAEORUM, *Lacedæmonum Epho-*
„ *ris, Senioribus, & Populo Fratribus Salutem*. Hæc ma-
„ nifeſte arguunt quæ fuerit tum forma Reipublicæ Ju-
„ daicæ, & quomodo ad ſuperiorem illam mixtam poli-
„ tiam redierint. Nam inprimis JONATHAS inducitur
„ tamquam Princeps, deinde Senatus (quæ vox Judices
„ Superiores, & Inferiores continet) poſtremo POPULUS
„ ipſe. Atque ut his vocibus fucum Romanis ac Lacedæ-
„ moniis factum non fuiſſe conſtet, dicitur Jonathan ad
„ CONCIONEM convocaſſe τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ, (3) id
„ eſt, SENIORES POPULI, ut de exædificandis in Judæa
„ propugnaculis ageret, mœnibuſque Jeroſolymitanis, &
„ excitando altiſſimo muro inter Arcem & Urbem, ut
„ hoc pacto excluderent præſidium Syrorum a commerciis
„ Urbis, tandemque ad commeatus penuriam adducerent.
„ Quos vero Author Libri Machabæorum vocat πρεσβυτέ-
„ ρους τοῦ λαοῦ, ideſt, SENIORES POPULI, Joſephus vocat
„ λαὸν ἅπαντα, ideſt POPULUM UNIVERSUM. (4) „ Qui-
bus conſequi ſubdit Bertramus ex rebus, politiam prioris
illius Machabæorum temporis aliquid amplius habuiſſe
Democratiæ, aut Ariſtocratiæ, quam Regni; quam &
con-

(1) I. Machab. XII. 6.
(2) Lib. Antiq. Jud. XIII. 9.
(3) Machab. XII. 31.
(4) Cap. XIII. *De Repub. Hebræor.*

Digitized by Google

continuatam fuiſſe apud Judæos politiam oſtendit ſub Romanis etiam Principibus, ceu Judæa non tam Romanorum Provincia eſſet, quam Socia, Romanique non tam ἡγεμόνες & πρόμαχοι, quam σύμμαχοι haberentur.

VI. Hiſce vero ita conſtitutis, videt jam quiſque, reſtituta antiquorum Judicum, Seniorum nempe, ac POPULI poteſtate, reſtitui debuiſſe quoque priſcam Judiciorum formam, eaque ratione, qua, dum Moſes Rempublicam gerebat, BUCCINARUM altera clangente Principes convenire conſueverant ad conſultandum de rebus ſuis, alterius autem clangor POPULUM concitabat univerſum: ita & ſub Machabæis Principibus nonniſi BUCCINAE ope fuiſſe CONCIONES POPULI coactas. Immo non pro ratione modo buccinandi apud veteres Hebræos, verum & pro forma cogendarum apud Gentes alias Judæis ſynchronas CONCIONUM, hoſce etiam buccinaſſe ad convocandum AGMEN UNIVERSUM concipere pervium arbitror, cui datum erit poſteriora fata Gentis intime rimari, quum nempe moribus etiam utebantur Judæi exterarum ab ritibus Gentium derivatis.

VII Quamvis enim ab Theocratia condita ad Hieroſolymorum excidium unus idemque fuerit Hebræorum Populus, diverſas adeo tamen in Reipublicæ formas actus eſt, ut ad Ariſtocratiæ modo, modo ad Monarchiæ ſpeciem, exacto denique Captivitatis turbine, ad Democraticum, ſub Regibus etiam, vergeret Principatum. POPULUS nempe, qui ſub Optimatium, ac Regum Imperio nil aut nervorum habuit, aut majeſtatis, & cui ſola erat parendi gloria relicta, poſt deletum exilio Babylonico Regnum, aſcitis ſibi Aſſamonæis Principibus, Rempublicam primum GRAECO MORE conſtituit. Quamvis enim Machabæorum gens, Seniorum potentiam, qui Reipublicæ puppi aſſidebant, infringens, Regiam dominationem, unde inteſtinum bellum, & Gentis fata derivata demum ſunt, iterum invexerit: magnas adhuc tamen in adminiſtranda

Re-

Republica partes ſibi POPULUS vendicavit, perinde atque in pene Democraticis Aſiæ, eadem paſſis tamen fata, Civitatibus, inque floreſcente olim Græcia univerſa, quod Machabæorum, uti etiam vidimus, ex Hiſtoria palam eſt.

VIII. Græcas igitur Judæi æmulaturi Reſpublicas, ſive quod infenſi Regibus eſſent, quorum atrox & duriſſimum mox pepeſſi fuerant jugum, ſive quod æquum maxime ducerent, omnium partam ſanguine, omnium debere etiam eſſe libertatem, univerſa, quæ in pene Democratica Civitate ejus eſſe ſolent adminicula, ſancienda eſſe deliberaverunt. Jam enim Magiſtratus, e quibus univerſa pendet Reipublicæ forma, iidem prope apud Judæos, qui & in poſteriori Athenienſium Republica; (1) & quia nullum potius eſt ad ſartam tectam ſervandam POPULI libertatem ejus auctoritate adjumentum, quæ non alia exerceri ratione poteſt, quam uſu & frequentia UNIVERSI AGMINIS CONCIONUM: icciroo uti Græciæ olim, ac Aſiæ Civitates, ſuas univerſi celebrabant POPULI CONCIONES; earum ſiquidem mentione, Græca omnis Hiſtoria, maxime autem Attica, refertiſſima eſt, ita & Judæi ſuas; idque non ſub Regibus, aut ſummis modo Sacerdotibus, ſed Romanis etiam Principibus rerum in Judæa Dominis. Quippe quamvis Hieroſolymitana Tetrarchia fuiſſet Archelai morte, vel ante Veſpaſiani victoriam, in Provinciam redacta, & per Procuratores Cæſaris adminiſtrata, erant tunc adhuc tamen Judæi ſub Romanis (uti ſub Chananæis olim (2)) veluti αὐτοκέφαλοι, & aliqua gaudebant αὐτονομία; retento ſiquidem a Romanis Imperii jure, municipale jus, eſto non prorſus liberum, ceu vanas quaſdam libertatis imagines, ſubditis ſibi Gentibus relinquebant, quæ προσώπῳ πόλεως, ſive umbratico illo veteris Imperii ſpecimine contentæ, vix ægre inde ſervitutem tole-

(1) Sigon. Lib. *De Rep. Hebræor.* VII. Cap. 2.
(2) Bertram. *De Rep. Hebræor.* Cap. IX.

toleraban . Cicero ſuum ad Atticum : *Multa ſum ſecutus Scævolæ ; in illis illud, in quo ſibi Libertatem cenſent Græci datam, ut Græci inter ſe diſceptent ſuis Legibus.* (1) Nam & in vetere Senatuſconſulto, quod ænea inciſum in Tabella apud Urſinum adſervabatur, erat ſcriptum: Ἐάν τε ἐν ταῖς ἑαυτῶν πατρίσι κατὰ τοὺς ἰδίους νόμους βούλονται κρίνεσθαι. (2) Rurſus idem Tullius ad Amicum ſuum : *Græci vero exultant quod peregrinis* (non Romanis nempe , ſed Græcis) *Judicibus utuntur . Nugatoribus quidem , inquies. Quid refert ? tamen ſe* αὐτονομίαν *adeptos putant.* (3) Et demum: *Omnes ſuis Legibus ac Judicibus uſæ* (Græciæ Civitates) *autonomiam adeptæ revixerunt.* (4) Suis igitur & Apparitoribus , Scribis, Præconibus, BUCCINATORIBUS , ceteriſque, quæ ad Majeſtatis inſignia pertinent , ejuſmodi gaudebant Magiſtratus , eſto jure gladii carerent , unde perperam tumeſcerent . Quare prudentiſſime Plutarchus illa inter gerendæ Præcepta Reipublicæ , quæ ad liberæ (ea tamen qua diximus libertate) pertinere videbantur Civitatis Præſides, hoc etiam habet: *Porro qualemcumque Magiſtratum occipienti , non ea modo in promptu ſunt habendæ rationes , quibus Pericles ſeipſum officii commonefaciebat quoties chlamydem ſumeret : Animum adverte Pericles , Liberis Græcis præs , præs Civibus Athenienſibus ; ſed & hæc ſecum commemoranda : Imperas ſubditus , Urbi Præfectus , quæ Proconſulibus , aut Procuratoribus Cæſaris eſt ſubjecta . Non hic Lanceæ campi ſunt , nec priſca Sardes , neque Lydorum illa potentia : geſtanda tibi chlamys vilior , & a Prætorio oculi in Tribunal convertendi , neque multum fiduciæ in corona ponendum , cum ſupra caput tuum calceos cernas .* Εἰσιόντα δὲ εἰς ἅπασαν ἀρχὴν, οὐ μόνον ἐκείνους δεῖ προχειρίζεσθαι τοὺς λογισμοὺς οὓς ὁ Περικλῆς αὐτὸν ὑπεμίμνησκεν ἀναλαμβάνων τὴν χλα-

B

(1) Lib. VI. Epiſt. I. ad Attic.
(2) Not. ad eand. Epiſt.
(3) Lib. VI. Epiſt. 1. ad Attic.
(4) Lib. VI. Epiſt. 2. ad Attic.

Digitized by Google

χλαμμύδα πρόσεχε Περικλῆς. ἐλευθέρων ἄρχεις, Ἑλλήνων ἄρχεις, πολιτῶν Ἀθηναίων· ἀλλὰ κἀκεῖνα λέγειν πρὸς ἑαυτὸν, Ἀρχόμενος ἄρχεις, ὑποτεταγμένης πόλεως ἀνθυπάτοις, ἐπιτρόποις Καίσαρος. οὐ ταῦτα λόγχης πεδία. οὐδὲ αἱ παλαιαὶ Σάρδεις; οὐδὲ ἡ Λυδῶν ἐκείνη δύναμις. εὐσταλεστέραν δεῖ τὴν χλαμύδα ποιεῖν, καὶ βλέπειν ἀπὸ τοῦ στρατηγίου πρὸς τὸ Βῆμα, καὶ τῷ στεφάνῳ μὴ πολὺ φρόνημα πιστεύειν· ὁρῶντα τοὺς καλτίους ἐπάνω τῆς κεφαλῆς. (1) Idem de Judæis etiam ætate illa ſtatuendum; ipſis enim Gentis erant ſuæ Magiſtratus, *Romanis patrias ſecundum Leges vivere eos permittentibus*, uti apud Flavium Joſephum in confeſſo eſt: Ῥωμαίων αὐτοῖς ἐπιτρεψάντων κατὰ τοὺς οἰκείους ζῆν νόμους (2) Heinc & frequentiſſimæ ac pene quotidianæ apud illius temporis Judæos UNIVERSI POPULI CONCIONES; eadem quippe in Oratione, qua Flaccum, qui triennium Aſiæ præfuerat poſt Tullii Conſulatum, de repetundis accuſatum defendit Romanus Orator, utriuſque de Gentis, ſive Orientalium omnium ſubitariis CONCIONIBUS fidem idem facit. *Græcorum*, inquit, *totæ Reſpublicæ ſedentis* CONCIONIS *temeritate adminiſtrantur*. (3) Ipſum dein laudat, quod aurum, quotannis Romanorum ex Provinciis Hieroſolymam exportari ſolitum, ſanxiſſet edicto ne ex Aſia exportari liceret, Judæorum irritas habens adverſus ſe CONCIONES: *Multitudinem*, inquit, *Judæorum flagrantem nonnumquam in* CONCIONIBUS *pro Republica contemnere gravitatis ſummæ fuit*. (4)

IV. Itaque ſi ſuis quodammodo Legibus, ſuis illa adhuc tempeſtate utebantur Judæi Magiſtratibus, nulla dubitare ratione poſſumus ſuis gaviſos eos etiam fuiſſe Apparitoribus, Miniſtris, ac BUCCINATORIBUS. Ignorat enim nemo quantum illæ, quæ licet ſerviant, ſimulachrorum tamen aliquorum ope, umbratico gaudent ἐλευθέρων πόλεων no-

(1) Præcept. gerend. Reipub.
(2) Lib. Antiq. Jud. XVII. Cap. 2.
(3) Orat. pro Flacc.
(4) Orat. pro Flacc.

Digitized by Google

nomine Civitates, ſuorum depereant cæremonias Magiſtratuum; abſit enim Civiles ut earum Præſides vel minimam ex iſtis prætermitti ſinerent Libertatis imaginibus, ut actum de patrio decore, ac pene dicerem, de Gentis ſalute crederent, ſi earum vano uſu ſuperbire non poſſe cogerentur. Hujuſcemodi igitur quum fuerint poſt Pompæi victoriam Judæi, quorum, uti nitimur in vetitum, patrias erga conſuetudines ſtudium, ſub exteris, ac præcipue Romanis, majus, quam ſuis olim ſub Regibus fuit; unde μὴ ἀρνήσασθαι τὰ πατρῷα de illis dixerit apud Joſephum Hecatæus, (1) ſequitur apertiſſime, eos, qui TUBIS, Romanorum ſub Imperio, utebantur in Sabbatis ac diebus feſtis, in Neomeniis, ſeu Calendis enunciandis, buccinaſſe quoque, uti quum perfecta olim gaudebant libertate, ad UNIVERSI POPULI AGMEN exciendum, & in CONCIONEM congregandum. BUCCINAM quippe Judæi reſpiciebant, ceu CORNU LIBERTATIS; neque aliud CORNU, ſeu clangendi poteſtas, apud illam Gentem ſignificabat, quam LIBERTATEM, aut SIGNUM LIBERTATIS; uti a celeberrimo Auctore Hebræo eruditiſſimi atque antiquiſſimi Commentarii in Numeros, qui inſcribitur SIPHRI feliciter explicatum eſt. (2)

X. Jam vero prætermiſſis Recentiorum hac de re teſtimoniis, & conjectationibus ab veterum ſtudio morum apud Judæos, ab eorum Reipublicæ forma derivatis, evidentiora in medium ferri poſſunt ex pene ſynchronis Auctoribus momenta. Haud obſcurum porro ex recta prodit interpretatione verborum Chriſti & Apoſtoli, de TUBA extremum ad Judicium vocatura diſſerentium, quorum hæc olim prior: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & majeſtate. Et mittet Angelos ſuos cum* TUBA *vocis magnæ, & congregabunt electos ſuos a quatuor ventis, a ſummis Cælorum uſque ad termi-*

B 2

(1) Lib. I. contr. Apion.
(2) Ad Numer. X. 10.

Digitized by Google

minos eorum. (1) Quem locum hiſce metrice reddidit Juvencus: (2)

Quando veniet nube ignicolori
Majeſtate potens hominis per Sydera natus
Tum Tuba *terrifico ſtridens clangore vocatos*
Juſtos, quadrifido mundi glomerabit ab axe.

Loquitur nempe de ſignis univerſale Judicium præceſſuris, inter quæ Angelos cum TUBA vides, convocantes adventuros ad Judicium. Hoſce Angelos, haſque TUBAS, illo ſcribens de Judicio, Paullus etiam memoravit. *Ecce*, inquit, *myſterium dico vobis: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſima* Tuba*; canet enim* Tuba, *& mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur*. (3) Ad Theſſalonicenſes autem quum ſcriberet Apoſtolus, ita CONCIONEM illam, ſeu Judicium repræſentat: *Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in Tuba Dei deſcendet de Cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi*. (4) Ex vera, inquam verborum horum interpretatione maximum in rem noſtram eruere erit argumentum.

XI. Siquidem, uti quod ſentio aperiam, plurimi verborum Chriſti Paullique alluſionem minus attigere. Quid enim de illis dicas, eam qui per Tubam, imperium Chriſti ſpirituale duntaxat denotari voluerunt, aut vocem Prædicantium, aut vocis Angelicæ magnitudinem, aut emphaticam eſſe dixerunt repetitionem? Melius profecto qui veterem præconcipiunt Populi Judæorum expreſſam illis in verbis Traditionem, de futuro revera, vero cum TUBAE ſonitu, Judicio, quos inter Druſius, ita verba Chriſti commentatus: *Feſtum erat in veteri Synagoga, quod vocabant Feſtum* TUBARUM. *Eo* TUBIS *clangebant ab ortu Solis*

(1) Matth. XXIV. 30. 31.
(2) Lib. IV. Hiſtor. Evangel.
(3) I. Corinth. XV. 51. 52.
(4) I. ad Theſſal. IV. 16.

Digitized by Google

Solis uſque ad occaſum ejus , vel potius ad noctem uſque. Clangor ille plurimas habebat cauſas . Una eſt , ut recordatio ſubiret illius diei quo per Tubam *mortui excitandi erunt , quod fore credebatur menſe Theſri , ſicut liberatio ex Ægypto fuit in Niſan.* (1) Goodvvinus etiam ſuo in Moſe & Aarone, *Judæos*, ait, (2) *νεομηνία menſis Tiſri ab aurora ad occaſum Solis clanxiſſe* BUCCINIS , *quod ea relegerent ratione memoriam Reſurrectionis , quæ ob judicium fiet cum σάλπισματι* SONO TUBAE . Verba igitur ſacri Vatis in Pſalmo quem eo die Levitæ concinnebant : BUCCINATE *in Neomenia* TUBA , *in inſigni die ſolemnitatis veſtræ , quia præceptum in Iſrael eſt , & Judicium Deo Jacob*, judiciarium illum revera futurum alludere ad clangorem docuere Judæorum Sapientes, qui ſonitum in Judicio futurum, præfiguratum etiam imaginabantur in ſono TUBAE perſonantis dum Lex in Sinai daretur . Eam Rabbini ſaltem poſteriores amplexi ſunt, aut induxere Traditionem, uti ex Orationibus eorum patet Ritualibus. (3)

XII. Ut ut tamen illa de Traditione aliqui ſtatuerint, verius edocemus tamen, perſonaturam dixiſſe Chriſtum, quum omnium Judicem ipſe aget , ad electos convocandos TUBAM, quod morem reſpiceret Judæorum, qui BUCINA tum tempor s etiam utebantur ad UNIVERSI CONCIONES POPULI, pro veteris more Reipublicæ, pro forenſibus etiam Græcorum ritibus , convocandas . Præſenſit hoc ſapientiſſime Divus Thomas , cujus vel Aſceticis in Scriptis invenire ſemper poſſumus inæſtimabiles margaritas . Nempe, etſi allegorico non ſemel dicendi genere in Divinorum utatur interpretatione Oraculorum, quo Concionatorum utilitati conſuleret, & ab iis aliquomodo legeretur , qui ex iniquitate temporis nonniſi morales alluſiones, aut interpretationes metaphoricas deperibant; aſt ali-

(1) Comment. in Matth. XXIV. 31.
(2) Lib. III. Cap. VII. n. 6.
(3) Vid. Not. Cl. Ugolin. in Conſtit. Maimon. de Buccin.

aliquid maſculæ ſemper tamen, ſolidæque ſignificationis ſuis in Commentariis includit, quo veram doctrinam, & arcanam indipiſci poſſent Sapientiam, qui eas inquirerent. Hiſce igitur verba Chriſti explicat ſanctiſſimus Interpres: TUBA *ſatis ei* (Judicio) *congruit, quia Numerorum decimo mandavit Dominus Moyſi* duas tubas *fieri, & clangebant* tubis *ad Concilium, ad Feſta, ad pugnam, & ad commotionem Caſtrorum, & ſic erit in Judicio, quia erit ibi* CONCILIVM. Paulli ad Corinthios verba hiſce iterum illuſtrat: *Dicitur* Tuba *propter officium* Tubæ, *ſcilicet ad vocandum* Conſilium. Verbis demum Apoſtoli ad Theſſalonicenſes ſcriptis hæc ab egregio Viro invenimus ſubjecta. Tuba *congruit ad officia, cujus uſus fuit multiplex in vetere Teſtamento*. Alluſionem igitur, ex ſanctiſſimi Viri ſententia, faciebant Chriſtus ac Apoſtolus, ad ſubitarias illas ſuper nonnullis magni momenti rebus CONCIONES, ad quas Judæi tunc temporis conveniebant univerſi, & eas quidem Buccinæ ope congregatas.

XIII. Haud diverſus ab egregio Præceptore ſuo, in illorum interpretatione textuum Cajetanus, TUBAM appellari docuit PUBLICUM totius humani Generis CONVENTUM. *Quia*, inquit, (1) *Tuba publice canit vocando ſuaviter ad Conventum, Conventum totius humani Generis appellat* TUBAM, *& noviſſimam, quia poſt illum Conventum non eſt futurus alter hominum Conventus. Et ſignificatur modus, quo reſurgent mortui quoad locum, quod ſcilicet reſurgent in Conventu publico ac noviſſimo. Si diceret* AD NOVISSIMAM TUBAM, *intelligerem quod reſuſcitati Homines in ſuis monumentis reſurgent venturi ad publicum Conventum; ſed ex eo quod dicit* IN NOVISSIMA TUBA, *intelligo quod in ipſo Conventu reſurgent omnes mortui*. Ab Hebraizantium aliquo hanc veluti Catachreſim hauſiſſe arbitror Cajetanum: Hebræorum ſiquidem in Lingua ſimile quid invenire eſt, nam verbum

(1) Ad. I. ad Corinth. XV. 52.

Digitized by Google

bum קהל quod Septuaginta vertunt Ἐκκλησίαν μεγάλην,(1) ſignificatque proprie UNIVERSI POPULI CONCIONEM, proprie etiam integra uſurpatur pro Perſona Congregantis Cœtum; unde & apud Septuaginta Ἐκκλησιαστής; (2) quin & ab eo derivatum volunt καλέω & καλεῖν, uti & *Calata* Romanorum *Comitia*; (3) quæ tamen, ceu Etymologicam ad rationem pertinentia, minus facimus. Docet certe ex Verrio Flacco Aullus Gellius, apud Latinos, CONCIONEM *tria ſignificare, locum ſuggeſtumque unde verba fierent: itemque ſignificare* COETUM POPULI *aſſiſtentis: item Orationem ipſam, quæ ad Populum diceretur.* (4) Ut ut de fontibus tamen ſit, e quibus interpretationem hauſit ſuam Cajetanus, eruere tamen eſt aliquo ipſum inveniſſe in loco, TUBAM appellatam fuiſſe aliquando COETUM ipſum, ejus ope convocatum.

XIV. Recentiores inter Exegeticos nemo Grotio præſtantius, ea quæ ad Hiſtoriam, aut ad Eruditionem Sacro pertinent in Codice eſt interpretatus. Sic ille vero: *Dicitur hic* TUBA *Angelorum Chriſti, tamquam* ACCENSORUM *&* PRAECONUM; *alluſio enim eſt ad morem Judæorum, apud quos* ἡ ἐπισύναξις POPULI CONVOCATIO *fieri ſolebat cum ſono* TUBAE. (5) Maldonatus etiam ad Chriſti verba: *Cum facis Eleemoſynam noli Tuba canere ante Te*, hæc habet: *Credo ad conſuetudinem congregandi* TUBA POPULUM, *cum aliquid publice aut faciendum, aut edicendum erat Chriſtum alluſiſſe* (6) Ad Servatoris autem verba ſuper futuro quo de agimus cum TUBAE ſonitu Judicio, hæc ſubdit: *Nec exiſtimandum eſt, vocem ipſius Chriſti* TUBAM *appellari, quia dubium non eſt, Chriſtum* EX HOMINUM CONSUETUDINE, ET MORE *loqui; non ſolent autem*

Re-

(1) Pſalm. XXXIX. 12.
(2) Buxtorf. ad ill. voc.
(3) Lexic. Maſclefian.
(4) Lib. XVIII. Noct. Attic. Cap. 7.
(5) Comment. in Matth. XXIV. 31.
(6) Comment. in Matth. VI. 2.

Digitized by Google

Reges, *ſed eorum Miniſtri* TUBA *clangere*. Quamvis ego verius verba illa *in Tuba Dei* Hebraiſmum redolere ſentiam, ac ſignificare *in Tuba magna*, aut *maxima*, in Tuba *maxime ſonora*, quod helleniſtica prolatum eſt phraſi, Hebræorum ſcilicet dicendi forma, ſuperlativa Nomina frequentiſſime adjunctione alicujus ex Nominibus Dei efferentium: יה, אל, אלהים, יהוה (1) Sic ארזי אל (2) *Cedri Dei*, ideſt altiſſimæ. הררי אל (3) *Montes Dei*, ideſt, altiſſimi. עצי יהוה (4) *Ligna Domini*, arbores videlicet præſtantiſſimæ; quo ex dicendi modo Helleniſta Scriptor de Moſe, ϗ ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ, (5) *& fuit venuſtus Deo*, nempe venuſtiſſimus; & Paullus etiam, in Epiſtola altera ad Corinthios: *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia*, *ſed* δυνατὰ τῷ Θεῷ, *potentia Deo*, nempe potentiſſima; (6) quare, & illud quo de agitur, ἐν σάλπιγγι Θεοῦ, in Tuba magna, ſeu magnæ Concionis, in Tuba quam ſonora. Ad rem ut redeamus, ſententiam eorum commendat Maldonatus, *qui putant ex antiquis Judæorum* Conventibus *ſumptam eſſe metaphoram*, *ad quos ſono* Tubæ *homines convocabantur*. (7) Heinc & Natalis Alexander ad illa Chriſti verba: *Metaphora ſumta ex more Judæorum*, *qui* Tuba *&* Populum *convocabant*, *& dies feſtos indicebant*. *Dicitur autem hæc* Tuba *modo Chriſti*, *ceu Regis*, *cujus Edicta cum clangore* Tubæ *promulgabantur*: *modo Angelorum*, *tamquam* Accenſorum *Chriſti ac* Præconum. (8) Denique Calmetus: *Videtur*, inquit, (9) *Evangelium nobis exhibere velle terribile illud Judicium*, *veluti generales eos* JUDAEO-

RUM

(1) Maſclef. Gram. Hebr. Cap. XXIV. ſ. V.
(2) Pſalm. LXXX. 11.
(3) Pſalm. XXXVI. 7.
(4) Pſalm. CIV. 16.
(5) Actor. VII. 20.
(6) II. ad Corinth. X. 4.
(7) Comment. in Matth. XXIV. 31.
(8) Comment. in Matth. XXIV. 31.
(9) Comment. in Matth. XXIV. 31.

RUM COETUS, *ad quos clangente* BUCCINA POPULUS *convocabatur.*

XV. Hanc illuſtrant maxime interpretationem, quæ illo rurſus loquens de Judicio Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ſcribit: *Dies Domini*, inquit, (1) *ſicut Fur in nocte, ita veniet;* eademque utitur expreſſione Princeps Apoſtolorum Petrus ſcribens: *Adveniet autem dies Domini ut fur*, (2) additum eſt in Græcis, *ἐν νυκτὶ in nocte*. (3) Quis hac vero non videat in ſimilitudine ad ſubitarias illas alluſum nocturnas Veterum coitiones BUCCINAE ope repente convocatas, hominibus METU FURUM concurrentibus, aut aliqua alia de cauſſa, ſeditione nempe, aut inexpectato aliquo imminente turbine ac eventu congregatis? Apertiſſime hoc de more apud Græcos ſui temporis Tullius in Verrem: *Chryſas eſt amnis*, inquit, (4) *qui per Aſſorinorum agros fluit. Is apud illos habetur Deus, & religione maxima colitur. Fanum ejus eſt in agro propter ipſam viam, qua Aſſoro itur Ennam. In eo Chryſæ eſt ſimulacrum, præclare factum e marmore. Id iſte* (Verres) *poſcere Aſſorinos propter ſingularem ejus fani religionem non auſus eſt. Tlepolemo dat Hieronique negotium, illi noctu, facta manu, armatique veniunt: fores Ædis effringunt: Æditui, Cuſtodeſque mature ſentiunt: ſignum quod erat notum vicinitati* BUCCINA *datur: homines ex agris concurrunt: ejicitur, fugaturque Tlepolemus: neque quidquam ex fano Chryſæ, præter unum parvulum Signum ex aere deſideratum eſt.* Morem vero hunc innuit etiam Plutarchus in deſcriptione felicitatis temporum, qua Numa Pompilio imperante gaudebant Romani. Sic ille quippe: *οὐ γὰρ μόνον ὁ Ῥωμαίων ἡμέρωτο καὶ κατακεκήλητο τῇ δικαιοσύνῃ καὶ πραότητι τοῦ Βασιλέως δῆμος. ἀλλὰ καὶ τὰς κύκλῳ πόλεις, ὥσπερ αὔρας τινὸς*

(1) I. ad Theſſal. V. 2.
(2) II. Petr. III. 10.
(3) Eraſm. & Vatabl. ad ill. loc.
(4) Lib. IV. num. 46.

Digitized by Google

ἐκεῖθεν ἢ πνεύματος ὑγιεινοῦ φέροντος, ἀρχὴ μεταβολῆς; ἔλαβε καὶ πόθος εἰσεῤῥύη πάντας εὐνομίας καὶ εἰρήνης, καὶ γῆν φυτεύειν, καὶ παρ' ἀλλήλους ἀδεῶς ἰόντων καὶ ἀναμιγνυμένων ὑποδοχαὶ, καὶ φιλοφροσύναι τὴν Ἰταλίαν κατεῖχον, οἷτε ἐκ πηγῆς τῆς Νουμᾶ σοφίας, τῶν καλῶν καὶ δικαίων ἐπεισρεόντων εἰς ἅπαντας, καὶ διαδεχομένης τῆς περὶ ἐκεῖνον γαλήνης. ὥστε καὶ τὰς ποιητικὰς ὑπερβολὰς ἐνδεῖν πρὸς τὴν τότε κατάστασιν λέγουσιν. Ἐν δὲ σιδαροδέτοις πόρπαξιν αἰθᾶν ἀραχνᾶν ἔργα, καὶ εὐρὼς δάμναται, ἔγχεά τε λογχωτὰ, ξίφεά τ' ἀμφήκεα, χαλκέων δ' οὐκ ἔστι σαλπίγγων κτύπος. οὐδὲ συλᾶται μελίφρων ὕπνος ἀπὸ βλεφάρων. οὔτε γὰρ πόλεμοις, οὔτε στάσις, οὔτε νεωτερισμὸς περὶ πολιτείαν ἱστόρηται, Νουμᾶ βασιλεύοντος. (1) „Non ſolum enim cicuratus, „& demulcitus Populus Romanus juſtitia & placiditate „Regis fuerat; ſed & circumjectæ Civitates, quaſi aura „quadam & vento ſalubri illinc afflatæ, cœperunt invertere ſe, ac deſiderio fuerunt capti omnes juſtitiæ, „pacis, agrorum colendorum, Liberorum in otio edu„candorum, & venerandorum Deorum: Feſti dies, ludi, „convivia, invitationeſque tuto inter ſe commeantium „& converſantium Italiam tenebant, omni virtute & „æquitate, tamquam ex Numæ fonte Sapientiæ ad om„nes permeante illius tranquillitate, ut nec grandilo„quentiæ Poeticæ conſurgere ad illorum conditionem „temporum valuerint qui canunt:

Haſta ubi prælonga, et duorum acies gladiorum
Fœda ſitu nimio, obducta & rubigine ſqualent,
Buccina *nec ſtridulam ſubito dat eburnea vocem:*
Alma quies viget, inque aurem dormitur utramque
Secure;

„neque enim bellum, aut SEDITIO ulla, neque novatio „ulla Numa regnante exiſtiſſe refertur." Heinc Octavius Ferrarius, qui recentioribus in repræſentandis factis veterum proprietatem verborum retinere geſtiebat, Patavinæ, in qua docebat, ut felicem ac ſeditionibus vacuam, con-

(1) Vit. Num. Pompil.

Digitized by Google

conditionem exprimeret Academiæ. *Non brevi claſſico*, inquiebat, (1) *excitamur in pugnam*, NON ALTOS SOMNOS BUCCINA FRANGIT, *non Tubæ ac Timpana Oratorum vocibus obſtrepunt, non ferrei prætervolitantes globuli erumpentium flammarum immani fragore circumtonant, non Cuniculi muros ſubruunt, non dira fames lenta tabe conficit, non vigiliæ laſſata membra exhauriunt, non mortis imago undique obverſatur, nullum belli incommodum ſentimus, præter belli metum*. Itaque quum iis ſemper repræſentetur Judicium extremum imaginibus, quæ cum ſubitariis Convocationibus conveniunt BUCCINAE ſono factis, conſequens eſſe jure ac merito arbitramur, ab poſterioris etiam Reipublicæ Judæis forenſes maxime Conventus BUCCINAE ope fuiſſe convocatos.

XVI. Jam vero ad vera reapſe alluſiſſe Chriſtum PRAECONUM illius tempeſtatis munera, modus ille dicendi uberrime oſtendit, ἐν φωνῇ καὶ ἐν σάλπιγγι *in voce & in Tuba*, aut, uti quædam habent exemplaria, σάλπιγγος καὶ φωνῆς *Tubæ & vocis*. Quo Grotius ἐν διὰ δυοῖν, unum videlicet per duo Chriſtum expreſſiſſe, haud recte contendit. (2) Arbitror, ego, uti dicebam, e diverſo, utrumque ſignificare illis Chriſtum verbis voluiſſe PRAECONIS munus, buccinandi videlicet, ac dein edicendi. Optime qui PRAECONEM, & TUBICINEM ita idem olim eſſe explicabat: PRAECONES *dicebantur a præcinendo, quaſi Præcanes, quod ante canant, & annuncient quid faciendum ſit. Sunt enim* PRAECONES *proprie ii, qui juſſu Magiſtratus publice aliquid denunciant, qui auctionem faciebant, & qui audientiam in Theatris indicebant. Et quia publicæ iſtæ denunciationes plerumque fiebant* præmiſſo Tubæ ſono, *hinc* Præco *pro* Tubicine *uſurpatur*. (3) Itaque etiam Κήρυξ, uti docuit elegan-

C 2

(1) Proluſ. X.
(2) Comment. ad Matth. XXIV. 31.
(3) Vid. Commentar. ex Not. Varior. ad Emblem. CLXXIV. Alciat.

Digitized by Google

gantiſſime Laurentius (1) & PRAECONEM ſignificat, quaſi Præcanem, quod ante canat & annuntiet quid faciendum, & TUBICINEM, quod TUBA canat, & BUCCINATOREM, & CADUCEATOREM. Illuſtrari res illa vero exemplis poteſt, præcipue iis quæ celeberrima in CONCIONE evenerunt, in qua ſuam Græcis Titus Quintus Flaminius reſtituit Libertatem. Sic enim rem exhibet Plutarchus: *Iſthmiorum igitur ludicro conſederat frequentia Mortalium in ſtadio ad gymnicum certamen ſpectandum: quod exempta tandem bello Græcia ob Libertatis ſpem, firmam certe pacem agitaret. Ibi* SILENTIO TUBA CONVENTUI INDICTO *proceſſus in medium* PRAECO *proclamavit: Senatus Populuſque Romanus, ac Titus Quintus Imperator ac Conſul, Rege Philippo ac Macedonibus debellatis, ſine Cuſtodiis Liberos, immunes, ſuo jure viventes fore permittunt Corinthios, Locros, Phocenſes, Euboicos, Achæos, Phthiotas, Magneſios, Theſſalos, Perrhæbos.* Ἰσθμίων οὖν ἀγομένων, πλῆθος μὲν ἀνθρώπων ἐν τῷ σαδίῳ καθῆςο, τὸν γυμνικὸν ἀγῶνα θεώμενον, οἷα δὴ διὰ χρόνου πεπαυμένης μὲν πολέμων τῆς Ἑλλάδος ἐπ' ἐλπίσιν ἐλευθερίας, σαφεῖ δὲ εἰρήνῃ πανηγυριζούσης. τῇ σάλπιγγι δὲ σιωπῆς εἰς ἅπαντας διαδοθείσης, προσελθὼν εἰς μέσον ὁ Κήρυξ, ἀνεῖπεν ὅτι Ῥωμαίων ἡ σύγκλητος, καὶ Τίτος Κοΐντιος, ςρατηγὸς ὕπατος, καταπολεμήσαντες Βασιλέα Φίλιππον καὶ Μακεδόνας, ἀφιᾶσιν ἀφρουρήτους καὶ ἐλευθέρους καὶ ἀφορολογήτους, νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις, Κορινθίους, Λοκροὺς, Φωκεῖς, Εὐβοέας, Ἀχαιοὺς, Φθιώτας, Μάγνητας, Θετταλοὺς, Περραιβούς. (2) Hoc igitur modo ſuos repræſentabat Chriſtus Angelicos PRAECONES, ceu buccinare prius debuiſſent, exin edicere de Judicio; aut ſigno TUBA dato, clamare inde debuiſſent, atque dicere: *Surgite Mortui, ac venite in Judicium.* Eundemque forenſem ſecundum morem ita Hieronymus ad Heliodorum: *Ecce de Cælo* TUBA CANIT: *Audi edictum Regis tui. Qui non eſt mecum contra*

tra

(1) De Præconib. Cap. I.
(2) Plutarch. Vit. Tit. Quint. Flamin.

Digitized by Google

tra me eſt : & qui mecum non colligit, ſpargit. (1) Eos repræſentabat etiam PRAECONES, veluti, facto TUBA ſigno, ſilentium indicerent, & Judicis verba arrectis auribus accipienda eſſe denunciarent. *In Archangeli voce*, ajebat Theophilactus, (2) *cæteris Angelis præſidentis, & identidem inclamantis: prompti paratique eſtote omnes; adeſt enim jam Judex.* Coacta reipſa Athenienſium CONCIONE, Præco clangore BUCCINAE ſilentium indicebat, quo de more vetus monuit olim Scholiaſtes ad Æſchyli Poetæ carmina, ubi ſic Minervam loquentem hic inducit:

Κήρυσσε κῆρυξ, καὶ στρατὸν κατεργάθου
Ἤτ' οὖν διάτορος Τυρσηνική
Σάλπιγξ, Βροτείου πνεύματος πληρουμένη;
Ὑπέρτονον γύρημα φαινέτω στρατῷ.
Σιγᾶν ἀρήγη, καὶ μαθεῖν θεσμοὺς ἐμοὺς,
Πολιν τε πᾶσαν εἰς τὸν αἰανῆ χρόνον.
Καὶ τῶνδ' ὅπως ἂν εὖ καταγνωσθῃ δίκη:
Edicto PRAECO, *& Populum prohibeto;*
Et ſonora Tyrrhenica
Tuba, *mortali ſpiritu impleta*
Intenſum admodum ſonum edat Populo.
Impleta enim hac Curia
Silere *expedit, Legeſque meas diſcere*
Urbem univerſam in perpetuum tempus;
Ut horum recte cognoſcatur Judicium. (3)

Quæ ad verba Scholiaſtes: *Quum Minerva ſorte Optimos delegiſſet, eos jus dicturos adducit. Poſtquam autem ipſi conſediſſent, ſtans in medio per* TUBAM *&* PRAECONEM *ſilentium indicit; tamquam ſolus* PRAECO *non ſufficeret. Vide autem quo pacto mores Recentiorum in prima tempora referat, nam quæ nunc ſunt uſitata, hæc Minervam loquentem introducit:* TUBA *enim utebantur, quum* POPULUM *prohibere vellent.*

(1) Epiſt. VI. Lib. II. edit. Canis.
(2) Enarrat. in 1. ad Theſſ. IV.
(3) In Eumenidib.

Digitized by Google

lent. Κληρώσασα Ἀθηνᾶ τὰς ἀξίους ἄγει δικάσοντας· καθισάντων δὲ αὐτῶν, ἐν μέσῳ στᾶσα, κελεύει διὰ τῆς σάλπιγγος καὶ τοῦ κήρυκος σιωπὴν γενέσθαι. ὡς μὴ ἀρκοῦντος μόνου τοῦ κήρυκος. ὅρα δὲ πῶς τὰ νέων ἔθη ἀναχρονίζει. ἃ γὰρ νῦν γίνεται, ταῦτα τὴν Ἀθηνᾶν εἰσήγαγε λέγουσαν· ἐχρῶντο γὰρ τῇ σάλπιγγι, ἀγείρειν τὸ πλῆθος θέλοντες. Diverſi igitur temporis ratio habenda eſt. Dubium enim nemini, Græcos, vetuſtiſſimis temporibus, ſola Præconum voce ad Concionem concitaſſe Populum, quum videlicet Tubæ apud eos nondum eſſent. Ita apud Homerum profecto, vel in convocatione militarium Concionum; namque dum Tubam pugnæ ſigna dantem Vates ille memorat, quadam temporis præceptione factum id docent Sapientes. (1) Poſteriori tamen tempeſtate eorum Præcones, TUBA utebantur, atque VOCE, quod apud Judæos etiam perpetratum arbitramur, ex Chriſti nempe verbis: *In voce, & in Tuba*.

XVII. Ut enim (quod erat certe explicandum) intimam, ita & extrinſecam poſteriores Judæi imitati ſunt Reipublicæ Athenienſium etiam recentiorum formam; nempe CONCIONES non modo pro Græcanicorum forma Conventuum habuerunt, verum ea etiam ratione, eoque determinato modo, quo Græcorum PRAECONES ſe gerebant in Athenienſium Concionibus, ita & Judæorum TUBICINES in Conventibus Hieroſolymorum. Hæc autem accepta prima fronte minus velim, ceu communiori Syſtemati adverſa, quo Reipublicæ Athenienſium forma dicitur ab Hebræorum Reipublicæ forma derivata, unde ad normam veteris Synedrii inſtitutus Areopagiticus Senatus, & ex ratione cogendarum antiquiſſimos apud Hebræos CONCIONUM, earum inde uſus apud Athenienſes; ex TUBARUM uſu apud priores, earum etiam uſus apud ceteros, uti ex Grotii teſtimonio. TUBA, inquit ille, (2) *convocare* POPULUM *Hebræi ſolebant, ut Moſes nos docet: atque inde*

(1) Schol. Græc. & Giphan. ad Lib. Iliad. XVIII.
(2) Comment. in Matth. VI. 2.

de ad Tyrios, a Tyriis ad Thyrrhenos, qui & ipſi propago ſunt Tyriorum, ut nominis veſtigium indicat, a Thyrrenis ad Græcos TUBAE *uſus pervenit. Eſt autem* σαλπίζειν *Tuba canere,* POPULUM TESTEM QUAERERE. Ita etiam celebris Blanchinus: *In civili Politia ad* POPULUM *claſſico convocandum uſus* BUCCINAE *fuit . . . Cornea* BUCCINA (*quæ* קרן) *ad convocandum Cœtum uſos fuiſſe non modo Hebræos, ſed etiam Etruſcos, qui ex Phœnicibus orti pleraque illius regionis inſtituta in Italiam traduxerunt, & ad Latinos derivarunt ætate Romuli, & conſequentium Regum colligunt Eruditi.* (1) Nempe, qui eam laberetur in ſuſpicionem, haud recte perfecto cogitaret, haud meritam haberet diverſi temporis rationem. Originem enim *Buccinæ* apud Judæos (nec enim eadem illa erat cum Paſtorali, aut Tritonia) nos etiam eorum Legumlatori, aut Deo potius ipſis jura danti, apertiſſime aſſerimus; ab Hebræorum etiam Synedrio derivatum haud inficiamur quidquid apud Athenienſes eſſe poterat Ariſtocratici Regiminis, exque veterum *Concionibus* Hebræorum, ortas ceterarum Gentium *Conciones*, quibus *Populus teſtis modo* Præceptorum aderat. Quidquid apud Judæos tamen poſt captivitatem Babilonicam invenire erat Democratici Regiminis, & Conciones illæ, quibus non jam teſtis, ſed *aliqua cum auctoritate Populus* etiam fuerat convenire ſolitus, procul dubio juxta Græcarum politiam Urbium erant inſtitutæ, & forenſes earum ritus in Judæos derivati. Quamvis enim eorum diſſerendi rationem probare nos etiam minus valeamus, qui veterum mores Hebræorum, Exterarum e ritibus Gentium pergunt facile nimis & præcipiti conſequutione interpretari; erant illi quippe ritus, atque mores inter ſe oppido diverſi, imo etiam aliquando quam maxime oppoſiti: (comparari enim & Græcis poſſum Veteres Hebræi, aſt modo, ut verum fatear, Homericis, non autem poſterioribus, ſeu Romanorum Imperio propinquis) ſecus tamen exiſtimandum, ſecus

(1) De Trib. Generib. Inſtrum. Muſical. Cap. I.

cus ſtatuendum arbitramur, quum de Judæis ſermo ſit poſt Captivitatem Babylonicam, ſeu Machabaica poſt tempora, quibus videlicet multa non modo pro Doctorum erant arbitrio antiquata, verum & aliqua vetuſtis moribus adjecta, ſuffecta alia, alia vicinarum ab ritibus Gentium derivata; (1) nec enim ab adſcititiis tutare ſe Populus omnino poterat, tot olim in Gentes raptus, atque diſtractus, nec ab iis poterat abhorrere, quibuſcum neceſſaria percuſſit demum fœdera. Numqam reapſe Veterum in Funeribus Hebræorum (uti eſt monitum Schickardo, (2) & ne a buccinandi more in præſens diſcedamus) aliqua Tibicinum ſit mentio, ſolæ vero commemorantur a Jeremia Præficæ. קראו למקוננות (3) Tibicines in Domo tamen adparent Principis, cujus Filiola occubuerat, & cui vitales auras reddidit Redemptor. (4) Unde Sedulii illa: (5)

> *Funereoſque modos cantu lacrymante gemebant*
> TIBICINES *plangorque frequens confuderat ædes.*

Et ſimilia Juvenci: (6)

> *Poſtquam perventum eſt ubi funera Virginis ingens*
> *Plangentis Populi fremitus* CLANGORQUE TUBARUM
> *Ultima ſuprema celebrabant funera pompa;*
> *Abſcedant inquit veſtris hæc triſtia tectis.*

Quid ille vero ſonus ac tumultus, niſi expreſſus demum Gentibus ab externis exequialis ritus, quarum funerea in pompa flebile canebatur carmen ad Tibias? (7) Sed hunc non decent Commentarium, ea omnia quæ ad mores pertinent ab Græcis Judæorum in Gentem derivatos.

XVIII. Itaque ad TUBAM & VOCEM PRAECONUM revertamur, cum Græcorum, tum etiam Judæorum. Apertiſſi-

(1) Cunæus *De Repub. Hebræor.* Lib. I. Cap. 13.
(2) De Jur. Reg. Hebr. Cap. VI. Theor. 19.
(3) Jerem. Cap. IX. 17.
(4) Matth. Cap. IX. 23.
(5) Lib. Mirabil. Divin. II.
(6) Lib. Hiſtor. Evangel. II.
(7) Xiphilin. Vit. Pertinac.

Digitized by Google

tiſſime qua ſe Græci gererent ratione narratio Demoſthenis oſtendit in cauſſa Cteſiphontis: „Adveſperaſcebat tum, „ quum Nuncius allatus eſt ad Prytanes, captam eſſe Elatiam; tum vero eorum alii medio ſurgentes Convivio, „ omnes qui in Tabernis erant, & in Foro verſabantur, „ ejiciunt, & vela incendunt, alii Prætores accerſunt, „ *Tubicinem* evocant; in Urbe plena tumultus ſunt omnia; „ poſtridie prima Luce Prytanes Senatum in Curiam vocant. Vos vero in *Concionem* veniſtis: & antequam ille „ ageret, & præconſuleret, *totus Populus* ſuperiore in parte ſedebat. Poſt hæc autem ut Senatus ingreſſus eſt, & „ Prytanes quæ ad ſe delata erant expoſuerunt, & eum, „ qui venerat, produxerunt, & ille loquutus eſt, *Præco* interrogavit, quis loqui vult? Nemo vero proceſſit; ſæpe „ *Præcone* rogante, nemo tamen ſurgebat.„ Ἑσπέρα μὲν γὰρ ἦν. ἧκε δ' ἀγγέλων τις ὡς τοὺς πρυτάνεις ὡς Ἐλάτεια κατείληπται. καὶ μετὰ ταῦτα οἱ μὲν, ἐντὸς ἐξαναστάντες μεταξὺ δειπνοῦντες τούς τε ἐκ τῶν σκηνῶν, τῶν τε κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐξεῖργον, καὶ τὰ γέῤῥα ἐνεπίμπρασαν. οἱ δὲ τοὺς στρατηγοὺς μετεπέμποντο, καὶ τὸν Σαλπιγτὴν ἐκάλουν. καὶ θορύβου πλήρης ἦν ἡ πόλις. τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἅμα τῇ ἡμέρᾳ οἱ μὲν πρυτάνεις τὴν Βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ Βουλευτήριον. ὑμεῖς δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε. καὶ πρὶν ἐκείνην χρηματίσαι καὶ προβουλεῦσαι, πᾶς ὁ δῆμος ἄνω καθῆτο, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς εἰσῆλθεν ἡ Βουλὴ, καὶ ἀπείγγειλαν οἱ πρυτάνεις τὰ προσηγγελμένα ἑαυτοῖς, καὶ τὸν ἥκοντα παρήγαγον, κἀκεῖνος εἶπεν, ἠρώτα μὲν ὁ Κῆρυξ, τίς ἀγορεύειν βούλεται; παρῄει δ' οὐδείς, πολλάκις δὲ τοῦ Κήρυκος ἐρωτῶντος, οὐδὲν μᾶλλον ἀνίστατο οὐδείς. (1) Idem prorſus in CONCIONE Judæorum eveniſſe, in qua Chriſtus damnatus eſt, vix poteſt dubitari. De BUCCINATORE CONCIONEM illam convocante mox dicemus. Interim & poſteriora illa a Demoſthene recitata quam examuſſim cum illa conveniunt Judæorum fabula de PRAECONE multos per dies proclamante, ut ſi cui quid pro vindicando Jeſu ſuppeteret, id libere exponeret! Fabula illa quidem

(1) Demoſth. Orat. pro Cteſiph.

in Gemara, ſeu Talmude Babylonico, recepta, & a præcipuis Hebraizantium relata, præſertim ab Hofmanno, in Synedrii Magni adverſus Salvatorem ad Judæorum Leges exacti *ἀνομαλία*; quam & Leuſdenus adfert, (1) & Goodvvinus; (2) aſt quæ certe, Judæorum Græcanicæ, ita ut dicam, conſuetudini innititur, qua PRAECO in CONCIONE eos evocabat, qui Reum purgare, aut aliquid adverſus id quod erat ſtatuendum, velle dicere contenderent.

XIX. Non ſemper tamen illarum in Concionibus Civitatum res erant ſolitæ adeo placide procedere. Veterem in illis tueri CONCIONES habendi rationem devictæ illæ Gentes ſatagebant, & raro datum PRAECONI erat edicere, ut ſi cui quid ſuper re qua de agebatur dicendum ſuppeteret, id libere exponeret. Surgebant enim pene omnes, orabant, accuſabant, &, uti cuique libitum erat, vindicabant; quam agendi licentiam, veram arbitrabantur Gentis univerſæ Libertatem. Refert in Vita Timoleontis Cornelius Nepos, quod, *quum quidam nomine Demænetus in* CONCIONE POPULI *de rebus geſtis ejus detrahere cæpiſſet, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta; dixit: nunc demum ſe voti eſſe damnatum. Namque hæc a Diis immortalibus ſemper precatum, ut talem Libertatem reſtitueret Syracuſanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere*. Eadem in CONCIONIBUS ſe geſſiſſe etiam arbitror Judæos tunc temporis licentia. Cur enim de extrema illa loquens Chriſtus univerſalis Judicii CONCIONE, dixit: *Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce pluſquam Jonas hic. Regina Auſtri ſurget in Judicio cum generatione iſta & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, & ecce pluſquam Salomon hic*. (3) Cur hæc, inquam, dixit Chriſtus, niſi quod Græcanica Judæo-

(1) Philolog. Hebræomixt. Diſſert. XLVII.
(2) In Moſ. & Aaron.
(3) Matth. XII. 41. 42.

Digitized by Google

Judæorum etiam in CONCIONIBUS obtineret licentia, qua cuicumque licitum erat quo de vellet dicere impune? Grotius huncce ad locum: *Rurſus*, inquit, (1) *Judicium divinum ad humani Judicii formam deſcribitur, in quo teſtes cum teſtimonium ſunt dicturi ſurgere ſolent ex ſubſelliis, quod, ut apud Romanos, ita & apud Judæos moris fuiſſe oſtendunt Marcus*, (2) *& Acta Apoſtolorum.* (3) Et recte id quidem. Verum qui tam belle cauſſam explicat, cur Salvator ſurrecturam dixerit Reginam Auſtri, ſurrecturos in Judicio Ninivitas, & accuſaturos Generationem illam, nempe quod in Judiciis Judæorum, qui teſtimonium erant dicturi ſurgere ſolerent ex Subſelliis; qui belle adeo modum explicat accuſandi, nihil inde tamen, uti & ceteri quos viderim, de ipſa dicit accuſandi Libertate, curve futuros dixerit Chriſtus illo teſtes in Judicio, qua maxime in re Judaicorum erat Judiciorum forma perpendenda. Omnia igitur in illius Judicii deſcriptione relate ad politiam Judæorum illius tempeſtatis, ab Urbium Græcarum politia minime diverſam, repræſentata ſunt, omnia relate ad ſtatum Urbis pene Democraticum. Tertullianus etiam qui rei ideam egregie conceperat, Præceptorem imitatus ſuum, poſtremum illud omnium Judicium, iis exhibere formulis pergebat, quæ ad generales illas Judæorum CONCIONES rite pertinebant, iccirco vel a Gentilibus caſtitate eximia præſtantibus Chriſtianos eos, qui repetito frui voluerunt nuptiali thalamo, univerſali in Judicio accuſandos aſſerebat, atque judicandos. *Habebunt*, inquiebat, (4) *plane Chriſto quod allegent ſpecioſum privilegium, carnis uſquequaque imbecillitatem. Sed hanc judicabunt jam non Iſaac monogamus Pater noſter, nec Joannes aliqui Chriſti Spado, nec Judith filia Merari, nec tot alia exempla Sanctorum. Solent*

(1) Comment. ad Matth. XII. 41.
(2) Marc. XIV. 57.
(3) Cap. VI. 13.
(4) Lib. *De Monogam.* Cap. XVII.

Digitized by Google

Ethnici Judices deſtinari . Exurget Regina Carthaginis , & decernet in Chriſtianas, quæ profuga & in alieno ſolo, & tantæ Civitatis cum maxime formatrix , cum Regis nuptias ultro optare debuiſſet, ne tamen ſecundas eas experiretur , maluit e contrario uri, quam nubere. Aſſidebit & illi Matrona Romana , quæ etſi per vim nocturnam , nihilominus experta alium Virum, maculam carnis ſuo ſanguine abluit , ut Monogamiam in ſemetipſam vindicaret .... Etiam Bovis illius Ægyptii Antiſtites de continentia infirmitatem Chriſtianorum judicabunt. Adeo univerſale omnium Judicium , juxta Judæorum, & Chriſtianorum prioris temporis ſenſum , ex pene Democraticis repræſentabatur CONCIONIBUS: iccirco qui tunc futurus dicebatur TUBAE ſonitus eas evincit, poſtrema etiam in Judæorum Republica, BUCCINAE ope fuiſſe convocatas.

XX. Neque intra conjectationis modo limites ſe laudata continet interpretatio. Divinus quippe omnium Redemptor, univerſali de Judicio, deque præceſſuris illud verba faciens ſignis , ut fore conſtaret idem juxta ἀλήθειαν , verumque futurum , & forenſes juxta formas prope celebratum , deſcriptionibus utebatur ἀκριβεστάτῳ ex Judicio , & Judaicarum ad normam conſuetudinum exacto, certiſſime deſumtis . Itaque ad rerum imaginem Judaicarum in regeneratione illa, quum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ , ſeſſuros dicebat etiam Apoſtolos ſuper ſedes duodecim , & judicaturos duodecim Tribus Iſrael ; (1) proque Scribarum loco apud Judaicæ Gentis Judices , & pro ſedendi more in Tribunalibus Judæorum, ſtatuendas inquiebat Oves a dextris, Hædos a ſiniſtris; (2) unde ex iis , quæ notiſſima apud vulgus, quæ ſub oculis quotidie Judæorum erant (qualis FORENSIS BUCCINA) futuri Divinus Redemptor aliqualem præbebat imaginem Judicii, uti Judaicis ex Dicaſteriis cæleſtium pavorem iniiciebat Magi-

(1) Matth. XIX. 28.
(2) Matth. XXV. 33.

Digitized by Google

giſtratuum, ex Judaicorum pœnis Tribunalium, pœnarum futuræ vitæ gradus oſtendebat: quod ferre quidem familiaris videbatur ratio ſermonis; ſignificatione ſiquidem jam tunc communi & vulgo nota גיהנם *Gehennam* Judæi appellabant locum in quo pœnas æternas impii ſuſtinebunt; nec alia profectò de cauſſa, niſi quod, uti animadvertit Buxtorfius in voce גיא, *Gehinnon* locus eſſet Urbi Jeruſalem vicinus atque contemptiſſimus, in quem projiciebant ſordes ac Cadavera: fuitque illic אש תמיד Ignis continuus ad comburenda oſſa reliquaſque ſordes; ea videlicet ratione, qua Græcis *Gehenna* locus Βαράθρον dicebatur, (1) quod *Barathrum* locus eſſet Athenis profundiſſimus, in quem injiciebantur Damnati, quorum ne Corpora quidem adparebant amplius. (2) Itaque quum adventurum dixit Chriſtus Filium hominis in cæli nubibus, cum potentia multa atque gloria, miſſurumque PRAECONES ſuos cum canora TUBA, iis, qui judicium audituri erunt congregandis, ut ex rebus illis quæ viſibilia erant, animos ad inviſibilia traduceret, nam *perfecti Doctoris eſt*, ait S. Gaudentius, divinam enarrans Parabolam de Villico iniquitatis, (3) *ad erudiendos Diſcipulos, ſimilitudines earum rerum proponere, quæ in converſatione humani generis frequentantur*; utque cum alludentibus hac in re ad Dicaſteria ſua, ſuoſque ad ritus, ad loca demum ſua, ipſe etiam alluderet Judæis, eam procul dubio reſpexiſſe dicendus eſt eorum Fori conſuetudinem, qua PRAECO CONCIONI convocandæ buccinabat.

XXI. Ex ipſa enim Reos in Foro interrogandi formula, rationem etiam hauriebat Chriſtus delictorum genus explicandi, Reorumque, quos futuri expectaverat ſæculi Judicium. Qui namque majorum poſtulabantur criminum, conſpectu Judicis erant vel in Quæſtionibus privati, quo

cum

(1) S. Clem. Alexand. Orat. adhor. ad Gent.
(2) Hervet. ad illum Clement. loc.
(3) Serm. XVIII.

Digitized by Google

cum per Interpretem agere videlicet debebant ; huncque ad ritum illa Prudentii procul dubio reſpiciunt :

> *Inflaturque cavo pompa popularis honore,*
> *Qui ſummum ſolidumque bonum putat ambitionis*
> *Creſcere ſucceſſu*, PRAECONUM VOCE *trementes*
> *Examinare Reos*. (1)

Itaque ut Divitem illum, qui Lazari haud fuerat miſertus, maximo teneri crimine per allegoriam Salvator omnibus perviam oſtenderet, Abrahamum induxit, Divitis in Judicio, INTERPRETIS munia agentem, quod Chryſoſtomo etiam, quam belle obſervatum, cujus en verba : μετὰ ἀκριβείας ἀκούειν χρή, τί μὲν ὁ καταδίκος οὗτος, ὁ πλούσιος λέγω, ἀξιοῖ, τί δὲ ὁ δικαστὴς ἀποκρίνεται διὰ τοῦ Ἀβραάμ. οὐ γὰρ ὁ πατριάρχης ἦν ὁ δικάζων, εἰ καὶ αὐτὸς ἐφθέγγετο. ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἔξωθεν δικαστηρίων τύπον, ὅταν ὦσί τινες ὑπεύθυνοι λῃσταὶ καὶ ἀνδροφόνοι, πόῤῥω τῆς ὄψεως τοῦ δικάζοντος ἀποστήσαντες αὐτοὺς οἱ νόμοι, τῆς τοῦ κρίνοντος οὐκ ἐπιτρέπουσιν ἀκοῦσαι φωνῆς, κἂν τούτῳ μετὰ τῶν ἄλλων αὐτοὺς ἀτιμάζοντες, ἀλλὰ μέσος τις διακονεῖ ταῖς ἐρωτήσεσι τοῦ δικάζοντος, καὶ ταῖς ἀποκρίσεσι τῶν δικαζομένων. οὕτω δὴ καὶ τότε ἐγίνετο. οὐ τοῦ Θεοῦ φθεγγομένου πρὸς αὐτὸν ἤκουεν ὁ καταδίκος ἀλλὰ μέσος ἦν ὁ Ἀβραάμ, τὰ παρὰ τοῦ δικάζοντος διακονήμενος τῷ δικαζομένῳ. οὐ γὰρ οἴκοθεν ἔλεγεν ἃ πρὸς τὸν πλούσιον ἔλεγεν, ἀλλὰ θείους ἀνεγίνωσκε νόμους αὐτῷ, καὶ τὰς ἄνωθεν γνώμας. (2) *Diligenter auſcultandum eſt, quid Reus, nimirum hic Dives, poſtulet ; quid contra juſtus Judex reſpondeat per Abraham. Non enim Patriarcha erat qui judicabat, quamquam is pronunciabat : verum quemadmodum in mundanis iſtis judiciis, quoties fuerint aliqui Rei, puta Latrones, aut Homicidæ, hos Leges procul a conſpectu Judicis ſegregantes, & arcentes, non permittunt ut audiant vocem Judicis, quod illi & hoc, & aliis honoribus judicentur indigni ; ſed medius quiſpiam* INTERPRES, *& Judicis interrogationes, & Rei reſponſiones præfert : hoc ſane pacto & tunc factum eſt.*

Non

(1) In Hamartigen.
(2) Concion. IV. *De Lazar.*

Non Deum ipſi loquentem adivit Reus, ſed medius erat Abraham, qui Judicis vocem, ei qui judicabatur retulit. Non enim ex ſe ſe dicebat, ſed divinas Diviti leges recitabat, quaque cælitus ferebantur ſententias proferebat. Ut igitur forenſibus ex conſuetudinibus, quæ ſuo tempore vigebant, explicabat Chryſoſtomus quæ Divinum fuerant apud Judicem perpetrata: imo uti Divitis judicium repræſentatum ipſe a Chriſto fuiſſe edocet, JUXTA FORMULAS TRIBUNALIUM HUMANORUM; non uno nomine conſequi palam eſt, eundem Servatorem de BUCCINA dicentem, extremum vocatura ad Judicium, loquutum de re hujuſmodi fuiſſe ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἔξωθεν δικαστηρίων τύπων, *ad normam judicialium rituum ſui temporis:* moris iccirco ætate quoque illa, Judæorum in Republica fuiſſe, CONCIONIBUS advocandis, TUBA clangere.

XXII. Conſequutionem porro hancce confirmant vehementer quæ in Libro Apocalypſeos legimus, in quo plura repræſentantur Judicia, præcedente tamen ſemper TUBICINIS clangore. Ad res ſiquidem, adque conſuetudines Judaicas, nempe ad Tabernaculum, ad Arcam, ad Iſraelitarum caſtra alludit Joannes in Apocalypſi, uti ad thymiamata & odoramenta ante Arcam, qui thronus erat Dei, ſolita incendi; etiam ad eum quo incendebantur modum atque ritum: denique juxta allegorias quoque Judæorum ſe ſe viſenda præbuerunt illi omnia; *(1)* heinc jure ac merito, pro *Forenſium* apud Judæos more *Buccinatorum*, viſi cæleſtes etiam *Pracones*, ſeu *Tubicines* ante Judicia buccinantes. Optime in rem noſtram Grotius: *Apud Hebræos, Græcos, & Latinos veteres* POPULUS *convocabatur* CLASSICO. *Ad id exemplum quum Deus homines convocat, dicitur id facere per* TUBAM. *Ideo in Apocalypſi in omnibus Dei Judiciis dantur Angelis* TUBAE. (2) Septem igitur Joannis Angelos, verius appellare poſſumus ſeptem

PRAE-

(1) Lamy *De Tabernac.* Lib. III. Cap. 4. 5.
(2) Commentar. in I. ad Theſſal. IV. 16.

PRAECONES, ſive etiam TUBICINES; nam & Præcones *Jovis Angeli* eleganter appellati ab Homero ſunt:

Χαίρετε Κήρυκες Διὸς Ἄγγηλοι, ἠδὲ ἀνδρῶν. (1)

Salvete PRAECONES *Jovis Angeli, atque etiam Virorum.* Et egregie Sanctus Gregorius: *Sciendum, quod* ANGELORUM *vocabulum nomen eſt officii, non naturæ. Nam ſancti cæleſtis Patriæ Spiritus ſemper quidem ſunt Spiritus, ſed ſemper vocari Angeli nequaquam poſſunt: quia tunc ſolum ſunt Angeli, cum per eos aliqua nunciantur.* (2) Ἄγγελος enim ab ἀγγέλλω derivatum nomen certum eſt, hocque verbum a גלה quod proprie *revelare*. (3) Hoc imo nomen *Angelus* officii non naturæ nomen eſſe, Patres omnes docuere, Heterodoxorum Objecto occurrentes adverſus divinitatem Chriſti differentium, quod ſacris ille dictus foret in Oraculis, *Magni Angelus Conſilii*. (4) Heinc & nomen illud, novo in Fœdere, Homini etiam tributum nonnulli Interpretes contenderunt, Apoſtolorum videlicet in Actis, ubi Puella ſtare Petrum ante veſtibulum nunciante, qui illum a manibus Herodis ereptum ignorabant, dixere: Ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν. (5) *Angelus ejus eſt*, quem nempe miſerat Nuncius, aut Servus. Quum igitur hoc Joannis Angeli nil nuncient in loco, verum TUBA modo ante Judicium clangant, ejus, uti dicebam, verba: Καὶ εἶδον τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, ita jure interpretabimur: *Et vidi ſeptem* TUBICINES *ſtantes in conſpectu Dei, & data ſunt illis ſeptem* TUBAE. *(6) Et ſeptem* TIBICINES, *qui habebant ſeptem* TUBAS, *præparaverunt ſe ut* TUBA *canerent. Et primus* TUBICEN *tuba cecinit, & alter* TUBICEN *tuba cecinit;* (7) & tertius, & ceteri ad uſque ſeptimum, cujus poſt clangorem ſequitur

(1) Iliad. Lib. I.
(2) Homil. XXIV. in Evangel.
(3) Radic. Hebr. Lexic. Maſclef.
(4) Pamel. Not. ad Tertull. Lib. *De Carn. Chriſti*.
(5) Act. Apoſt. XII. 15.
(6) Apocalypſ. Cap. VIII. & ſeq.
(7) Apocalypſ. Cap. IX. 1. & ſeq.

Digitized by Google

tur a Senioribus facta grariarum actio de Judicio, & mercede, & vindicta Omnipotenri Deo.

XXIII. Sed ad factum tandem deveniamus, & forenſem adferamus TUBAE ſonum, poſtremæ datum tempore Reipublicæ, ad POPULI CONCIONEM repente convocandam. Buccinavit apud Judæos reipſa eorum Fori PRAECO, ad Ἐκκλησίας quæ Chriſtum damnavit advocandam; eo enim pari modo, quo quum Nuntius Prytanibus ſignificaſſet captam fuiſſe Elatiam, tum vero vidimus Athenienſium alios medio ſurgentes convivio ceteras quaſcumque reliquiſſe curas, alios vela incendiſſe, Prytanes *Tubicinem* evocaſſe, CONCIONIS ſignum fieri juſſiſſe; ita oblata ſe ſe repente proditori Judæ Magiſtrum prodendi ſuum occaſione, Miniſtros & Cohortem eidem Judæos tribuiſſe legimus, Jeſum vinxiſſe, & adduxiſſe ad Caipham, *Tubicinem* advocaſſe, ſignoque CONCIONIS dato ad Prærorium perrexiſſe, & damnationem omnes cum Pilato pronunciaſſe. Quare, uti celeberrimo illo ex CONCILIO, quo Chriſtus morte damnatus atque affectus eſt, ceteras Judaicorum Judiciorum conſuetudines facilius evidentiuſque, quam ullo ex alio Hiſtoriæ Judæorum monumento, percipi poſſe arbitratus olim eſt Cl. Sigonius: unde ex conlatis Evangeliorum eo ſuper CONCILIO teſtimoniis rem Judæorum Judiciariam explicari exacte poſſe, determinarique debere contendit: (1) ita nos etiam ex ſigno BUCCINA illam ad CONCIONEM advocandam dato, idoneum, imo certum, derivari argumentum arbitramur poſſe, ad ſententiam de FORENSIS uſu BUCCINAE apud Judæos confirmandam.

XXIV. Datum autem fuiſſe illi CONCIONI convocandæ ſignum ex verbis eruere eſt Divini Præceptoris ad Petrum: πρὶν ἀλέκτωρα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με. (2) Quæ ſic vulgatus vertit Interpres: *Antequam Gallus cantet, ter*

(1) Lib. *De Rep. Hebræor.* VI. Cap. 7.
(2) Matth. XXVI. 34.

negabis me, & poſt Petri lapſum, ἀλέκτωρ ἐφώνησε. *Gallus cantavit*. Illis autem verbis ſignificatum arbitramur: *Antequam* BUCCINATOR *Tuba clangat*; vel, *Antequam* PRAECO *ſignum det, & in Judicium advocet, ter me negabis*. Facem mihi hac in Interpretatione fateor Altmannum prætuliſſe; (1) qui tamen, multiplici de cauſſa, inaudita loqui, atque παραδόξῳ novitatis illo, alter ceu Palæphatus, gloriolam aucupari ſibi viſus eſt, inepta paſſus ingenioſam adverſus ſuſpicionem Adverſariorum Objecta; nec enim motiva in medium protulit, quibus jure actus videretur, ad communem ſenſum in hunc recentiorem convertendum; neque ſat idonea protulit, momenta, quibus verba, de quibus ſermo eſt, BUCCINATOREM denotare poſſe evinceret; ad CASTRENSEM confugit demum Romanorum BUCCINAM, ad quam Chriſtum reſpexiſſe contendit; adverſus ipſa profecto Romanæ Hiſtoriæ monumenta, quæ in Caſtris quidem, non autem in Urbibus, aut in Stativis Romanos BUCCINA Vigilias commiſiſſe memorant. Nos igitur primum de iis, quæ obeſſe videntur diſſeremus, ne vulgarem opinionem certiſſimam credamus (non enim de Dogmate eſt, ſed ſola de antiquitate Diſputatio, Vulgarem imo Interpretem nobiſcum conſentire demonſtrabimus) ad uberrima inde ſermonem convertemus momenta, quibus in loco cum Græca, tum Latina etiam Evangeliorum verba BUCCINATOREM denotare ſuſpicamur. Demum ad FORENSEM Judæorum BUCCINAM reſpexiſſe Chriſtum apertiſſime conſequi oſtendemus.

XXV. Et de alite quidem Interpretari divina verba, nulla ratione videntur primum poſſe, quod ætate Chriſti nullos dicantur Judæi alere potuiſſe Gallos, nullum eorum cantum exaudire potuiſſe. Ut enim Sybaritæ, placidioris ergo ſomni, hujuſmodi propriis ex ædibus eliminavere alites, ita & Judæi ab Hieroſolymitanis, potiori quidem

(1) Obſerv. Philol. *De Gallic. Hieroſ. audit.*

Digitized by Google

dem de cauſſa, ne terram videlicet illa in Urbe pedibus diſſipantes, immunda eruerent animalia, quæ res ſanctas malo omine polluerent; ſcriptum enim olim erat: אין מגדלין תרנגולין בירושלם מפני קדושים *Non alunt Gallos Hieroſolymis propter ſacra*. (1) Adhibendam autem eſſe Judæis Doctoribus, conſuetudinem iſtam referentibus, prorſus fidem equidem haud dubito; iniqvum enim eſſe quis non videat, Ipſis, res ſuas enarrantibus, eam recuſare, quam Græcis, Romaniſque Scriptoribus habemus, ſi quæ ab eiſdem traduntur aliquando, noſtris quidem a moribus aliena, nec rationi tamen, nec aliorum certiſſimis, eorumque plurium Scriptorum teſtimoniis adverſa? Nec enim in alio Talmudici, dum Veteres mores ſuos recenſent, peccant, niſi (uti exacte monet Conſtantinus *l'Empereur* (2)) in eo quod conſuetudines corruptis temporibus, & Chriſti ævo revera vigeſcentes, antiquiorem ad ætatem, vetuſtiſſimaque referant ad ſæcula. Optime hac in re Cl. Lamy: *Suſpecta eſſe non poſſunt quæ circa vetuſtas conſuetudines leguntur in Thalmudicis Libris; has enim, dum Jeſus in Terris agebat, viguiſſe, aperte indicatur, vel innuitur in Evangelio, ut merito rideantur, qui credunt poſſe riſu explodere, quæ ex hiſce locis depromuntur*. (3) Huic autem teſtimonio illuſtris Paſini judicium ſubjicio, quæ illis in Libris fidem merentur, ab ceteris egregie ſecernentis, quæ veritate maxime laborant. *Cum Hebræos ajo*, ſcribit ille Auctor, (4) *tum Maſorethas & Talmudicos, tum Rabbinos antiquos, & recentiores intelligo;* מדרשים *non modo, ſed* פרושים *etiam comprehendo. Neque enim volo univerſa nullo habito delectu inde excerpi: ea tantum quæ ad rem grammaticam, ad* Judæorum ritus, conſuetudines & Hiſtoriam *ſpectant, depromenda contendo*. Hujuſmodi igitur

E 2 quum

(1) Bav. Kam. Halac. Ultim.
(2) Not. ad Cap. XI. *De Rep. Hebræor.* Bertram.
(3) Præf. Comment. in Harmon. Evang.
(4) Orat. in Limin. Grammat. Hebr.

quum ſit, Talmudicis relatum in Libris, de non nutriendis in Urbe ſancta Gallis Præceptum, cur de illo dubitabimus? Quare alitum ad illorum vocem, Servatoris ad Petrum verba haud eſſe videntur referenda.

XXVI. Hadrianus Relandus, re hac, uti par erat, animadverſa, Interdictum illud communiori cum Interpretatione Textus componere non una via conatus eſt. (1) Potuiſſe igitur cenſet Galli vocem, extra Hieroſolymam fortaſſis editam, ad ipſam uſque deferri Urbem, ad uſque ipſas Petri aures, perpenſo maxime Urbis diverſis montibus inſidentis ſitu. Certe memoria proditum animadvertit, in Sicilia exaudiri poſſe Gallorum in Italia canentium voces, eſto fretum Siculum interjectum ſit. Ita Silius Italicus: (2)

Ex illo ſervans rapidus devortia Nereus,
Sævo dividuos conjungi pernegat æſtu.
Sed ſpatium quod diſſociat conſortia terræ,
Latratus fama eſt (ſic arcta intervenit unda)
Et matutinos volucrum tranſmittere cantus.

Legem addit Relandus ſolis poſitam Judæis efficere potuiſſe minus, quin ſancta in Urbe rerum Domini tunc temporis Romani ὄρνιθας alerent ſervarentque, quemadmodum Geſareni Χοίρους: eam fuiſſe perditorum illorum temporum conditionem, ut hi ipſi inter Judæos, qui ſacra nundinabantur nomina, Leges patrias turpiſſime negligerent: verba Legis prohibuiſſe dumtaxat, aves illas alere, non vendere, aut comedere; delatumque vix Hieroſolymam ἀλέκτορα, ea, quæ ſuprema illi erat, nocte, vocem, uti conſueverat, fortaſſis edidiſſe: veriſimilius demum, poſterius eſſe Phariſaicum illud tempore, quo de agimus, Præceptum; poſtquam ſcilicet, Soſpitatore noſtro jam in Cælum feliciter evecto, Hillelis tandem ſuperſtitio univerſum Populum infecit. Quibus ex omnibus vulgaris interpretationem ſenſus in tuto collocatam eſſe contendit.

XXVII.

(1) Orat. *De Gall. Cant. Hieroſ. audit.*
(2) Lib. XIV.

XXVII. Verum, ut omittam, incertum prorſus eſſe, an Domus Pontificis adeo fuerit Urbis mœnibus contigua, ut ales extra mœnia vocem edens, in tanto ſtrepitu, in tanto Judæorum, inconditum clamorem tollentium, inque militum tumultu potuerit exaudiri (quæ prudens Altmanni erat olim dubitatio;) (1) quis ea tamen omnia, quæ ſuſpicatur Relandus, cum emphaſi verborum Chriſti, cum tempore, atque loco, quibus ea protulit, haud convenire poſſe minus videat? Familiariſſime, ac JUDAICO MORE, cum Petro Chriſtus loquebatur: itaque ad vocem alitis reſpicere nullo modo poterat, qui Hieroſolymis ali ac nutriri ſolitus non erat, qui Judæorum ab ædibus procul eſſe debebat, qui lege prohibitus erat apud eos inveniri. Reſpicere ad vocem alitis non debeat, qui eſſe fortaſſe in domibus modo Romanorum poterat. Illius autem Sacerdotes temporis ſacra etiam nundinatos fuiſſe nomina, ac morum leges turpiſſime violare ſolitos fuiſſe, haud inficiamur quidem; aſt eos inde dubitare, Phariſaicas neglexiſſe cæremonias, ac irrita palam habuiſſe inducta rituum Præcepta, minus cum fide convenit verbis Servatoris debita, quibus eos HUMANIS TRADITIONIBUS, pluſquam par fuiſſet, addictos querebatur. Facere haud igitur poſſunt Relandi cogitata, ut vulgaris Interpretationem ſenſus in tuto collocatum eſſe arbitremur.

XXVIII. Quoniam tamen Præceptum illud de minime alendis in Urbe ſancta Gallis inter Rabbinorum Commenta nonnulli adhuc enumerandum eſſe forſitan contenderent, cetera opus eſt in medium proferamus adjecta, ſeu verius motiva, quibus Evangelicum *ἀλέκτωρα* non de alite, in loco, ducimus interpretandum. Celebris quæſtio eſt inter Exegeticos, qua nempe ratione conciliari Evangeliſtæ poſſint, non uno modo verba illi Chriſti efferentes. Juxta Marcum enim Chriſtus prædixit Petro, fore ut ter abnegaret, *πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι*, *antequam* *Gal-*

(1) Obſerv. Philol. *De Gallic. Hieroſ. audit.*

Gallus BIS *cantet*. (1) Et vero quum ceciniſſet poſt primam abnegationem, poſt tertiam ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε, *rurſus cantavit Gallus*. (2) At ex oppoſito ceteros apud Evangeliſtas haud canit Gallus, niſi poſt tertiam abnegationem. Apud Matthæum enim Ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με. *Hac nocte priuſquam Gallus cantet, ter me negabis*. (3) Apud Lucam: Οὐ μὴ φωνήσει σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με. *Hodie non cantabit Gallus, priuſquam ter neges, quod Tu me noveris*. (4) Denique ex Joanne: Οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσει, ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρὶς. *Non cantabit Gallus, priuſquam ter me neges*: (5) Quæ profecto ἀσύςατα videntur. Quid porro Exegetici non præſtiterunt, ceteris ut conciliarent cum Evangeliſtis Marcum. Ita Janſenius: „Circa
„ hæc verba ex Marco oritur difficultas. Cum enim tres
„ Evangeliſtæ aſſerant Dominum dixiſſe, Petrum ſe ter
„ negaturum antequam Gallus cantaret: Marcus dicit,
„ antequam Gallus bis vocem dederit, quod quomodo
„ poſtea ſit impletum, Marcus in ſequentibus diſtincte
„ enarravit; ex quo conſequitur, Petrum non ter ante
„ Galli cantum Dominum negaſſe, ut dicunt tamen tres
„ Evangeliſtæ. Divus Auguſtinus hanc tractans difficul-
„ tatem, ſic eam putat diſſolvendam: *Ut dicantur tres Evangeliſtæ dixiſſe trinam Petri negationem futuram ante Galli cantum, quia ante illum cœpta fuit, & in ipſo etiam animo conſummata, ut ſic ſit dictum, ter me negabis, quomodo ſi alicui diceretur: antequam cantet Gallus ad me ſcribes Epiſtolam, in qua mihi ter conviciaberis. Id enim vere quis dixerit, etiam ſi Epiſtola non fuerit abſolvenda ante omnem cantum Galli, ſed ante cantum Galli incœpta, poſtea ſinia-*

(1) Marc. XIV. 30.
(2) Marc: XIV. 72.
(3) Matth. XXVI. 34.
(4) Luc. XXII. 34.
(5) Johann. XIII. 38.

Digitized by Google

„ *finiatur.* (1) Verum hanc ſolutionem non eſſe conve-
„ nientem (ſubjicit Janſenius) ex eo patet, quod tres illi
„ Evengeliſtæ, qui dicunt Dominum dixiſſe, Petrum ne-
„ gaturum ſe ter, antequam Gallus cantaret, poſtea oſten-
„ ſuri impletam fuiſſe Domini prædictionem, omnes tres
„ Petri negationes narrant ipſo opere impletas, priuſquam
„ narrent Gallum ceciniſſe: unde patet eos non in illo ſen-
„ ſu accepiſſe, quod nunc dicunt Dominum dixiſſe, Pe-
„ trum ter ſe negaturum ante Galli cantum, quia ante
„ eum trina negatio erat accipienda, ſed quia ante eum
„ erat conſumanda. Proinde omiſſis aliis rationibus, qui-
„ bus quidam ſtudenr conciliare Evangeliſtas, dicendum
„ eſt, tres Evangeliſtas de illo loqui cantu Galli, qui ab
„ hominibus maxime ſolet obſervari, a quo ſcilicet ulti-
„ ma noctis pars, quæ quarta olim dicebatur Vigilia, dici-
„ tur Gallicinium. Duabus enim potiſſimum vicibus Galli
„ in nocte canere conſueverunt. Semel non diu poſt me-
„ dium noctis, & ſecundo, cum jam adhuc duæ, aut tres,
„ vel circiter noctis horæ ſuperſunt, quando in cantu per-
„ ſeverant uſque ad tempus, quod Conticinium dicitur, a
„ quo ſecundo canru quarta noctis Vigilia dicitur Gallici-
„ nium. Marcus itaque rei in Petro geſtæ, ut ab ipſo Pe-
„ tro audierat accuratam præſcribens Hiſtoriam, utriuſque
„ cantus Galli meminit, cujus meminit & Juvenalis dicens:

Quod tamen ad cantum Galli facit ille ſecundi
Proximus ante diem Caupo ſciet. (2)

„ Per cantum Galli ſecundi intelligens ſecundum cantum
„ Galli, & per hoc deſcribere volens tempus illud quod Gal-
„ licinium dicitur. Reliqui vero tres Evangeliſtæ poſterio-
„ ris tantum cantus Galli meminerunt, ut qui ſit præci-
„ puus, & a quo pars noctis dicitur Gallicinium: proinde
„ idem ab omnibus eſt ſignificatum, nempe rer Petrum ne-
„ gaturum ante tempus illud noctis quod Gallicinium dici-
„ tur,

(1) Lib. III. *De Conſenſ. Evangeliſt.*
(2) Satyr. IX.

„ tur, quod tempus ſecundum communem quidem loquen-
„ di modum ſimpliciter notatur per Galli cantum; ſecun-
„ dum accuratiorem vero loquendi rationem, notatur per
„ ſecundum cantum Galli. Ex prædictis, & ex ſequenti
„ narratione Marci patet, quod cum hic dicitur apud eum,
„ priuſquam Gallus bis vocem dederit, illud bis, accipien-
„ dum eſſe pro duabus diverſis vicibus & temporibus, non
„ autem ſimpliciter, ut duplicatum ſignificet ſonum. (1)

XXIX. Hac porro interpretatione nodum & ſolvere hunc conati ſunt Eraſmus, (2) Zegerus, (3) Grotius, (4) Heinſius, (5) una videlicet ſententia ſtatuentes, probe Marcum diſtinxiſe primum inter Galli cantum *medionoctio* exaudiri ſolitum, alterumque, quem edit ales *ſub adventum Lucis*; Evangeliſtas autem ceteros cantum Galli ſimpliciter fuiſſe nominare contentos, gnaros videlicet, ubi nihil additur, notiorem ſtatim, nobiliorem, & clariorem, nempe matutinum intelligi. Denique & Bochartus (adeo magni etiam Viri coguntur longo in Opere exarata millies, repetere aliquando) nullo negotio conciliari poſſe docuit quæ ἀσύςατα videntur, *Si Petrum primo negaſſe ſtatuas* CIRCA MEDIAM NOCTEM; *& tum Gallum merito ceciniſſe; & tertio negaſſe circa quartam vigiliam, vel circa illud tempus, quod dici ſolet* GALLICINIUM, *& Gallum tunc temporis iterum ceciniſſe. Quo poſito, hac Chriſti verba*, Non cantabit Gallus, *aut*, Priuſquam Gallus cantet, *idem erunt ac ſi dixiſſet*, Ante tempus Gallicinii, *vel*, Non cantabit Gallus ſolenni illo cantu, a quo tempus, quo canit, ἀλεκτοροφωνία dicitur, priuſquam ter me negaveris. *Interim nullus dubito, quin Marcus, qui Petri Diſcipulus fuerat, ipſamet Chriſti verba retulerit, prout a Petro illa didicerat. Sed ſuffecit aliis id memorare quod pracipuum fuit, nempe Chriſtum tri-*

pliecm

(1) Concord. Evangel. Cap. CXXXIII.
(2) Comment. ad Marc. XIV. 30.
(3) Comment. ad Matth. XXVI. 34.
(4) Comment. ad Matth, XXVI. 38.
(5) Exercit. Sacr. ad Nov. Teſt. Cap. 17.

plicem illam Petri abnegationem non ſolum prævidiſſe, ſed & deſignaſſe tempus, & fore, ut Chriſtum Petrus ter abnegaret ante Gallicinium. Quod cum de ſecundo Gallicinio palam ſit intelligi, quia hoc ſolum ſimpliciter Gallicinium dicitur, tamen id diſerte expreſſit Marcus, atque illud inſuper, primam Petri abnegationem primum Gallicinium præceſſiſſe. (1)

XXX. Inficiari profecto nulla poſſumus ratione Viros Doctiſſimos recta methodo procedere, ad Evangelici Textus ſenſum in apricum proferendum. Quandoquidem, uti rectiſſime docet Joannes Chryſoſtomus: Καὶ γὰρ, καὶ τοῦτο ἀναγκαῖον εἰδέναι, ὅτι τῶν εἰρημένων τὰ μὲν οἱ τέσσαρες εἶπον, τὰ δὲ καὶ ἰδίαν ἕκαστος ἀπολαβών. τίνος ἕνεκεν; ἵνα καὶ τῶν λοιπῶν ἀναγκαία ἡμῖν ἡ ἀνάγνωσις γένηται, τὸ τῆς συμφωνίαν ἐξαίρετον διαφανῆ. εἰ μὲν γὰρ πάντες πάντα εἶπον, οὐκ ἂν πᾶσι μετὰ σπουδῆς προσείχομεν, ἀρκοῦντος ἑνὸς διδάξαι τὸ πᾶν. εἰ δὲ πάντες πάντα ἐξηλλαγμένα εἶπον, οὐκ ἂν ἐφάνη τὸ τῆς συμφωνίας ἐξαίρετον. διὰ τοῦτο καὶ κοινῇ πάντες πολλὰ ἔγραψαν, καὶ κατ' ἰδίαν ἕκαστος ἀπολαβών. (2) „Et hoc ſcire refert, quod inter ea, „ quæ referuntur ab Evangeliſtis, alia dicuntur a quatuor „ communiter, alia ſpeciatim a ſingulis. Quam ob cauſ„ ſam? Ut ſimul & nobis eſſet neceſſaria reliquorum ſa„ cra Lectio, & evidenter perſpicua fieret illorum inter „ ipſos conſonantia. Etenim ſi omnes omnia dixiſſent, „ nequaquam ad omnes cum ſtudio animum adjeciſſe„ mus, quum unus ad omnia docenda ſuffeciſſet; ſin au„ tem omnes diverſa omnia atque variata potuliſſent, ne„ quaquam inſignis eorum apparuiſſet Concordia. Qua„ propter & omnes communiter multa ſcripſerunt, & ſi„ bi quiſque proprie ſumpſit nonnulla.„ Patrum autem omnium affatum eſt, Evangeliſtis hunc fuiſſe morem, ut aliquando τῶν περιστατικῶν levia negligerent, quum principali de Hiſtoria ſibi veritatis rationem ſcirent conſtare. Quare quum eorum ſententia hacce in re vera minus eſſe

F vi-

(1) Lib. Hieroz. I. Part. II. Cap. 17.
(2) Concion. I. *De Lazar.*

videatur, qui abſque Sacrorum Scriptorum, abſque auctoritate Patrum, Prophetiam Chriſti geminant, ceu altera in Marco eſſet, ceteris altera in Evangeliſtis, Petruſque ſex vicibus negaſſet; ter quidem pene ſimul ante primum cantum, ter iterum vero diſcriminatim ante poſteriorem cantum; (1) heinc Evangeliſtas ea in re conciliari poſſe optimo conſilio arbitrati ſunt Interpretes, ceteris ex Marco enarratis atque explicatis; non enim certum modo, Marcum individuum fuiſſe Petri Interpretem ac Diſcipulum, verum, uti Euſebio rectiſſime animadverſum, exactius ceteris quæ ad Petri lapſum pertinebant explicaſſe, quod ejuſdem deſcriptionem Lapſus ipſomet ab Petro, ſuum narranti omnibus infortunium, frequentiſſime audiviſſet. Sic enim vetus ille Auctor: Μάρκος μὲν ταῦτα γράφει. Πέτρος δὲ ταῦτα περὶ ἑαυτοῦ μαρτυρεῖ. πάντα γὰρ τὰ παρὰ Μάρκῳ τοῦ Πέτρου διαλέξεων εἶναι λέγεται ἀπομνημονεύματα. (2) *Marcus quidem hæc* (Chriſti Petrique de negatione verba) *ſcribit. Petrus autem hæc de ſeipſo teſtificatur: omnia enim quæ apud Marcum leguntur, narrationum, ſermonumque Petri dicuntur eſſe Commentaria.* (3) Itaque recte: ὡς ἐκ δευτέρου ceterorum in textubus Evangeliorum ex Marco veluti adjiciendum eſſe docuerunt Exegetici, aptius, ac tutius ad Concordiam iter haud inveniri poſſe arbitrati.

XXXI. Verum qui recta ceterum methodo procedunt, haud ſcio tamen, an interpretationem ſuam cum rerum ſerie, factique cum Hiſtoria probe denique componant. Quam incerta enim, atque arbitraria illa eſt de Gallo canente MEDIONOCTIO doctrina! Apud Veteres quippe omnes unum tantum cognitum video valde diſſitum a media nocte Gallicinium. Cenſorinus: *Incipiam a nocte media. Tempus, quod huic proximum eſt, vocatur de media nocte. Sequitur* GALLICINIUM, *cum Galli canere incipiunt. Deinde Con-*

(1) Concion. I. *De Lazar.*
(2) Calin. *Super Evangel.* Lib. VIII. Cap. XI.
(3) Lib. Demonſtr. Evangel. III. Cap. 7.

Digitized by Google

***Conticinium*, *cum conticeſcunt*. *Tunc*, *ante Lucem*: *& ſic Diluculum*, *cum Sole nondum orto*, *jam lucet*. *Secundum Diluculum vocatur mane*, *cum Lux videtur*.** (1) Illum porro temporis, quod GALLICINIUM appellabatur, ambitum in tres propemodum diſtinguebant Romani alitis illius cantus, Auſonius: (2)

Ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus deprehenſo Marte Satelles.

Idem apud Græcos. Sic enim de partibus noctis Julius Pollux: τὰ δὲ τῆς νυκτὸς μέρη, νυκτὸς ἀρχὴ, καὶ περὶ πρώτην νύκτα, καὶ νυκτὸς ἀρχομένης, καὶ περὶ πρώτης φυλακῆς, καὶ δευτέρας, καὶ τρίτης. ἢ καθ' Ὅμηρον, περὶ πρώτην μοῖραν. ἢ περὶ πρῶτον ὕπνον, εἰ μὴ εὐτελές. μεσούσης νυκτὸς, μέσον νυκτῶν. ὑπὸ τὸ λυκαυγὲς, ὅπερ Ὅμηρος ἀμφιλύκην νύκτα καλεῖ. περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδὰς, ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων, ὑπὸ τὸν ᾠδὸν ὄρνιθα. (3) „ Noctis vero „ partes hæ ſunt. Noctis initium, circa primam noctem, „ nocte incipiente, prima Vigilia, ſecunda, tertia; vel juxta „ Homerum, circa primam partem, aut primi ſomni „ tempore, niſi hoc nimis fuerit tenue. Media nocte, circa „ medium noctis, ſub Crepuſculum, quod Homerus vocat „ νύκτα ἀμφιλύκην, id eſt antelucanam. Circa Gallicinia, „ Gallis canentibus, circa Gallorum cantus. „ Hoſce autem cantus, ſive ſatius vices, quibus diverſos Galli geminabant ſonos, ad tres etiam revocare ſoliti Græci erant; ſiquidem apud Theocritum: (4)

Ὄρνιθες τρίτον ἄρτι τὸ ἔσχατον ὄρθρον ἄειδον.

Galli tertium *jam ultimum Diluculum cantu indicabant*. Quod & familiari dicendi modo uſitatiſſime receptum. Apud Lucianum nempe irata decumbens cum Carmide Tryphena: ἀλλ' ἄπειμι· καὶ γὰρ ἤδη τρίτον τοῦτο ᾖσεν ἀλεκτρυών. *Verum abeo*; *jam enim* TERTIUM *hoc cecinit Gallus*. (5)

 Uni-

(1) De Die Natal.
(2) Grupp. Ter. Num.
(3) Lib. I. Cap. 7.
(4) Idyll. XXIV.
(5) Dialog. IX. Meretric.

Digitized by Google

Univerſam denique tres in cantus diſtinguere etiam Judæi ſolebant ἀλεκτοροφωνίαν; primum vocantes קריאת הגבר, alterum כשישנה, quum iterat; tertium כשישלש, quum tertio canit; (1) uti, ceterorum inſtar Populorum, totidem in Vigilias nocturnum tempus dividebant, teſte R. Salomone: שלשה הלילה קרויין אשמורה ואותה שלפני הבקר קרוא אשמורת הבקר (2) *Tres partes noctis vocantur Vigiliæ, & quæ eſt ante mane, vocatur Vigilia matutina.* Quæ Romana interpretatione videntur etiam pronunciata. *Matutina Vigilia*, inquit de Auguſto Cæſare Svetonius, *offendebatur*; unde hæc Gentibus omnibus fuiſſe palam eſt communia, aut ſaltem, convenientius ſtatuenda. Ubi igitur quem Exegetici in Marco invenire ſe autumant *medionoctio* contingens Galli cantus? ubi apud Veteres invenient alium deſignatum Galli cantum ab illo qui ad uſque Conticinium perſeverat? aut qua ratione, quæ in Evangelio narrantur cum primo atque altero component notioris Gallicinii cantu?

XXXII. Demus eſſe reipſa tamen Exegetici quod ſtatuunt. Qui tamen prima fronte haud male conciliare viſi ſunt Evangeliſtas, ſuſdeque dein illa vertunt in hypotheſi, imo pervertunt omnia, quæ nocte illa fuerunt perpetrata. Quomodo enim ſtatim poſt *medionoctium* potuit negare prima vice Præceptorum ſuum Petrus, quum vix *medionoctio* poſtrema Chriſti ſuis cum Diſcipulis Cœna eſſe potuerit peracta? Siquidem nonniſi multa nocte Paſcha comedere ſolebant, Chriſti tempore, Judæi; uti ad Matthæi illa, *Veſpere autem facto diſcumbebat cum Duodecim*, docuit aperte Grotius his verbis: „Ὀψίας δὲ γενομένης, Cum jam Sol occi-
„ diſſet, quod non intelligendum eſt ἐν ϛιγμῇ *in puncto*.
„ Nam quicquid eſt temporis poſt Solis occaſum, ſolet in-
„ terdum eo nomine appellari, ut Numerorum IX. 15. ubi
„ oppoſita ſunt ביום *de Die*, & בערב *de Veſpere*. Jeremiæ

„V.6.

(1) In Jom. fol. 21.
(2) Ad Exod. XIV. 24

„ V.6. זאב ערבות *Lupus Veſpertinus*, nempe, *Lupus no-*
„ *cturnus*. Ita ſumi ὀψίας *Veſperi* manifeſtum eſt Johannis
„ XX. 19. aliiſque in locis. Indicatur ergo jam nocte cele-
„ brata Cœna, quod conſulto factum a Chriſto, ne ſe pe-
„ riculo ingeſſiſſe videretur. Neque in eo quicquam erat
„ novi. Nam nunc quoque Judæi Πάσχα μνημονευτικὸν memo-
„ riale Paſcha multa jam nocte celebrant. Imo & Πάσχα θύ-
„ σιμον victimale Paſcha mactari quidem inter duas Veſpe-
„ ras, aſt edi nonniſi noctu ſolebat. Ita enim uſus interpre-
„ tatus erat Legem, quæ exſtat Exodi XII. 8. inque eam
„ interpretationem Judæi omnes conſentiunt.„ Hæc Grotius, (1) quæ aliis edocet in locis, & quæ confirmari poſſent vehementer ex Libris Judæorum Ritualibus, ſive quas Paſchali in Celebritate conceperant ex precibus. (2). Qua ratione igitur (quod mirere magis) idem etiam ille Auctor, *vix* elapſo *medionoctio*, quo tempore priorem exaudiri ſolere ait Galli cantum, Petrum prima vice lapſum ſuſpicari pergit, quum multa jam nocte, aut ſaltem prope medionoctium, cum Præceptore ſuo ceteriſque cum Diſcipulis, menſæ Petrus adhuc accubuerit, ſerotinumque Paſcha celebraverit? Si ea quippe, quæ, celebrata Cœna, peracta inde fuiſſe deſcribuntur, enumerentur ac perpendantur examuſſim, vix omnia videntur potuiſſe fieri ante medionoctium, vel ſi prima nocte, ſive initio noctis, ſuis Chriſtus cum Diſcipulis Paſcha comediſſet. Peracta ſiquidem, quæ Judæorum pro moribus brevis & expedita eſſe non poterat, illa Cœna; ſive uti doctiſſime oſtendit, qui plaudente univerſa Catholica Eccleſia ſedet in præſens egregius Pontifex BENEDICTUS XIV.; peracta jam cæremoniali Cœna, vix ante uſitatam, vel dum hanc ipſam uſitatam celebraret ille Cœnam, (3) Diſcipulorum omnium pedes lavit humaniſſimus Redemptor; Concionem inde habuit,

pro

(1) Comment. ad Matth. XXVI. 20.
(2) Apud Goodvin. *In Moſ. & Aaron*.
(3) Tom. I. P. I. Enarrat. *In Cæn. Dom.* CLVIII. CLIX.

pro Judæorum quoque Legibus, uti ex Johannis etiam Evangelio eruitur, copioſſimam; Sacramentum inde Corporis & Sanguinis, tertia veluti in Cœna, ſive *Suprema* NOCTE *Cœna* & uti Paullus ait, *in qua* NOCTE *tradebatur*, (1) cum fratribus recumbens, divinitus inſtituit; Diſcipulos inter ſe de Primatu contendentes verbis graviſſimis compeſcuit, cecinit conſueto ritu Paſchalem Hymnum pluribus conſtantem Pſalmis; Hieroſolyma excedens in montem perrexit Oliveti, nonnullis ſtadiis Urbe diſſitum, & in Villam venit nomine Gethſemanem. Seceſſit ut oraret, & poſt unius horæ Orationem rediit ad Diſcipulos, quos, quum dormientes reperiiſſet, increpavit, quod unam nempe vigilare ſaltem horam minus valuiſſent. Idem ſecundo, & tertio etiam factum. Interim cum Juda miſſi Apparitores, ſeu cum ipſis Lictores atque Milites Chriſtum ut invadunt, humi ceu inanimes ſternuntur; capiunt deinde tamen, poſtque pugnam unius ex Diſcipulis cum Malco integritati reſtituto, horto digrediuntur, inque Urbem denique reverſi, ad Annam primum adducunt, inde vero ad Caipham: quo expectandi fortaſſe Scribæ, Sacerdotes, ac Seniores ut demum convenirent; Petrus tandem aliquando ægre, & vix precibus Diſcipuli, *qui erat notus Pontifici*, (2) in Atrium admiſſus, ſed poſtmodum etiam agnitus Chriſtum negat, primo Galli cantu vix audito, videlicet, uti perperam interpretantur, *vix elapſo medionoctio*, qui multa jam nocte, Paſchali adhuc menſæ accumbebat. Quis hæc eſſe vere ἀσύςατα inficiari poſſit? Hac etiam de cauſſa Altmannum erraſſe animadvertere in loco eſt, recte nempe Evangeliſtarum verba de BUCCINATORE interpretatum, male vero de BUCCINATORE MILITARI. Jam enim confeciſſet Petrus negationes,

Mediam ſomni cum BUCCINA *noctem*
Diciderét; (3)

quæ

(1) I. ad Corinth. XI. 23.
(2) Johann. XVIII. 16.
(3) Sil. Ital. Lib. VII.

quæ ſecunda caſtrenſis erat Romanorum buccinatio, quum tamen tertia ſaltem abnegatio, juxta omnium ſententiam, ipſaque juxta Hiſtoriæ adjecta, facta videatur ante vix Diluculum, quum

Et jam quarta canit venturam BUCCINA *Lucem*. (1)

XXXIII. Hæc præſentiens Vir maximus Bochartus ineluctabilia Objecta, præcipienſque poſſibile haud eſſe primam Petri negationem ad matutinum, uti Ipſi ajunt, referre Gallicinium (maximus ex Tillemontio etiam, ineundæ inter Evangeliſtas Concordiæ obex (2)) Marco nempe apertiſſime adſerente, negaſſe Petrum ſtatim poſt primum Galli cantum, a matutino, uti opinantur, ac vero Gallicinio diverſum; immo quum animadvertiſſet, *primum* inter, & *ſecundum* Gallicinium quartam noctis partem intercedere ſolere, ſpatium tunc temporis videlicet horarum prope trium, quod in Judæa, quo anni tempore Chriſtus affectus morte eſt, noctes horarum eſſent pluſquam undecim; inter primam vero ultimamque Petri abnegationem, vix elabi mediam potuiſſe temporis illius partem; quum negaſſet enim prima vice Petrus ſe noſſe Chriſtum, μετὰ βραχὺ, (3) *paullo poſt* alius eum videns dixiſſe fertur: *Etiam tu ex ipſis es?* Reſpondit Petrus: *O homo non ſum*; quæ abnegatio ſecunda fuit: καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, *Et interpoſita hora circiter una*, alio id ipſum confirmante, Petrus tertio negavit, & ſtatim Gallus ceciniſſe fertur: Quæ omnia cum illo componi reapſe non poſſunt ſpatio temporis, quod *primum* inter illud *medionoctio*, ut aiunt exaudiri ſolitum, & alterum, *antelucanum* videlicet, ac *diluculare*, intercedit Gallicinium; hæc, inquam, quum perpendiſſet jure ac merito Bochartus, *arbitrarium*, ac *intempeſtivum* confugit ad alitis illius cantum, quem *temere fortaſſe, nec ſtatis horis* illa nocte ceciniſſe ſuſpicatur (quæ fuiſſe videtur etiam Sca-

(1) Propert. Lib. IV, Fab. IV.
(2) Tom. II Monum. ad Hiſt. Eccleſ. Not. Sup. S. Petr.
(3) Luc. XXII. 56. 57. 58.

Digitized by Google

Scaligeri ſententia, (1)) exque divinitus prævifis contingentibus illis cantibus, pervium vindicare perrexit, ac vulgarem Chriſti verborum, Textuſque Evangeliorum ſenſum. (2) Quis tamen Chriſtum familiari ſermone cum Apoſtolis loquutum, adfirmare jure certoque poterit, denotaſſe rem incertam, contingentem, & ad rem alluſiſſe intempeſtivam, ac Diſcipulo, quo cum loquebatur, imperviam atque abditam? Quis credat Ipſum determinatæ verbis formulæ (id enim apud laudatos Clariſſimos Interpretes verba Chriſti audiunt) indeterminatum tamen deſignaſſe cantum, ac arbitrarios reſpexiſſe alitis illius ſonos! Quis fidem vero faciet illa Ipſum nocte *temere, neque ſtatis horis* ceciniſſe? Alium igitur habent ab vulgari Verba Servatoris ſenſum, nec Gallum reſpicere poſſunt, aſt, uti oſtendere tandem datum erit, aliud quid cum iis quæ gerebantur magis nexum, FORENSEM nempe Judæorum BUCCINAM, quæ nocte illa clangere debebat, ad eorum CONCIONEM in cauſſa Chriſti poſtridie convocandam.

XXXIV. Plurima profecto quæ ſacris ad Hiſtoriam pertinent in Libris, juxta Grammatices modo, ac pervias Populi ſignificationes, aut præſentis ſecundum ideas temporis, haud videntur ſtatim accipienda. *Græce oportet eſſe doctum*, ajebat olim Vir maximus Caſaubonus, (3) *ac rerum Veterum ac morum peritiſſimum, qui poſtulet ſe intelligere divinas Sacrorum Scriptorum elegantias*. Quantum enim eruditionis ad alicujus phraſis ſenſum requiritur conſequendum! Quantum aliquarum cognitio conſuetudinum uno pendet plurimum ex verbulo! nempe non ſemel ex morum cognitione ſenſus eruitur verborum, aliquando ex ſagaci verborum inquiſitione, ex interpretatione phraſium, eruderantur mores Veterum. Ad rem prorſus diſſerit Johannes Georgius Walchius, quum ſcribit: *Multis demonſtrari*

(1) Scaligeran. Joſeph. p. 162.
(2) Lib. Hieroz. I. P. II. Cap. 12.
(3) Caſaubonian. pag. 135.

ſtrari poteſt exemplis Litteras humaniores, præcipue ſtudia antiquitatum veterum Gentium, Interpreti Oraculorum ſacrorum operam præſtare utilem, ſive res ipſas, ſive dicendi genera ac formulas reſpiciamus. Exſtiterunt Viri graviſſimi, qui in eo collocarunt ſtudia ſua, ut doctrinam græcæ Litteraturæ, quam ex Lectione Scriptorum profanorum hauſerant, ad Codicem novi Fœderis enarrandum, illuſtrandumque adferrent .... nec ipſis horum ſtudiorum felix defuit eventus, quum non ſolum multarum vocum, ac Formularum, quas Scriptores Fœderis poſterioris uſurparunt auctoritas firma; ſed & vis ſignificandi ex profanis Græciæ Libris vindicari atque oſtendi, adeoque ſuſpicio loquendi generis barbari removeri, & via ad rectam ſententiam parari poſſint, ſi modo tale ſtudium cum cautione quadam inſtituatur. (1) Recte profecto; etſi valde dubito an ea uſi fuerint, quos hoc celebrat Walchius in loco. Quamvis vero quæ ad Chriſti Judicium pertinent, videantur habeanturque ceu hominibus etiam de trivio notiſſima, ſecus profecto tamen eſſe remur; nec perperam hac nos de re in præſens opinari fidem arbitror apertam faciunt ſacrarum Litterarum τὸ μέγα ἄυχημα, humanique decus generis BENEDICTUS XIV. (2) & Joſeph Averanius, (3) illius qui Judicii acta exactiſſimæ eruditionis ope tam vere, tam docte, tanto cum pietatis ſenſu feliciter interpretati ſunt.

XXXV. Jam vero Chriſti ad Petrum verba πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, quæ vulgo ad Gallum referuntur, homonymia laborare maxima, pluraque in diverſis denotare locis, oſtendere operæ pretium eſt. Græcos enim apud Auctores multiplici nomem ἀλέκτωρ GALLUS, acceptum video ſignificatione. Exemplum prius in Lycophrone ſit, atque etiam in Æſchylo, quorum alter voce ἀλεκτόρων uſus

G eſt

(1) Præf. ad Parerg. Academic.
(2) Enarrat. *in Cœn. Dom. & Paraſc.*
(3) Lection. *De Paſs. Chriſti*.

eſt ad ſignificandos GRAECOS, alter ad ATHENIENSES denotandos. Ita nempe prior:

Παραιολύζει τὰς ἀλεκτόρων πικρὰς
Σπεγανόμους ὄρνιθας. (1)
Tranſverſas aget acerbas GALLORUM
Tectivoras GALLINAS.

„ Quem ad locum ita doctiſſime Potterus: Græcos ob for-
„ titudinem GALLIS AVIBUS voraciſſimis comparat. Ea-
„ dem translatione uſa eſt apud Æſchylum Minerva, cum
„ Furiarum Chorum orat, ne inter Athenienſes bellum
„ & contentiones excitent:

Μηδ' ἐξελῦσ', ὡς καρδίαν ἀλεκτόρων,
Ἐν τοῖς ἐμοῖς ἀστοῖσιν ἰδρύσῃ κάρα
Ἐμφύλιον τε καὶ, πρὸς ἀλλήλυς θρασύ. (2)

Ubi Scholiaſtes: ἐξελῦσα, ἀναπτερώσασα, μάχιμον γὰρ τὸ ὄρνεον, τῶν τε ἄλλων ζώων τὸ συγγενὲς αἰδυμένον μόνος ὃ φείδεται. Non igitur *Græcorum*, aut *Athenienſium* vocibus, ſed, aptiſſima metaphora, uſi Vates illi ſunt voce ἀλεκτόρων; & prorſus idonea de cauſſa. Quum enim Populos illos ceu pugnaciſſimos denotare vellent, elegantius nullum aptare nomen illis poterant, nomine GALLORUM,

Qui Regnum ſibi Marte parant; quippe obvia roſtris
Roſtra ſerunt, crebriſque acuunt aſſultibus iras.
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Infeſto, adverſumque infligunt pectore pectus.
Victor ovans cantu palmam teſtatur, & Hoſti
Inſultans victo, pavidum pede calcat iniquo.
Ille ſilet, herbaſque petit, Dominumque ſuperbum
Ferre gemit: comes it merito plebs cetera Regi. (3)

Omnia examuſſim ab Auctore derivata, qui totus in Hiſtoria naturali fuit, C. Plinio Secundo. (4) Fortaſſe ab or-

(1) Caſſandr. Verſ. 1094.
(2) Eumenid. Verſ. 864.
(3) Politian. *In Ruſtic.*
(4) Lib. Hiſtor. Natur. X. Cap. 21.

Digitized by Google

otnamento militari metaphoram illam ortam ſuſpicari fas eſt. Refert Poliænus, Ammonem Deum Termenthi Oraculum de Regno conſulenti, reſpondiſſe: CAVERET A GALLIS. *ὁ μὲν Θεὸς Ἄμμων χρωμένῳ Τεμένθει περὶ τῆς Βασιλείας ἀνεῖλε φυλάξασθαι τοὺς ἀλεκτρυόνας*. (1) Itaque Pſammetium Pigrete Care familiariter uſum, quuum ab eo cognoviſſet, primos Cares Galeis impoſuiſſe vertices, Oraculi mentem intellexiſſe, & magnam Carum conduxiſſe multitudinem, ac duxiſſe verſus Memphin, juxtaque Templum Iſidis caſtris poſitis, commiſſa pugna, victoriam indeptum, Ægypti Regem ita ſuſtuliſſe. Heinc ducta ac recepta forſitan Catachreſis, Græcos ut Milites appellarent inde GALLOS, pene ſimili ratione qua levis armaturæ Equites Europæi vocitant DRACONES.

XXXVI. Aliquando vox *ἀλέκτωρ*, græca phraſi, CONJUGEM denotabat, litera *ἀ* ſignificante *ὁμοῦ*; de Puella vero dictum idem nomen denotavit etiam INNUPTAM, *ἀ* privandi vim habente; (2) unde ille ajebat apud Athenæum: *γενέθλιός ἐστι τῆς ἀλέκτορος Ἀθηνᾶς καὶ ἄδικος ἡ ὧπες ἡμέρα*. (3) Vertit Dalecampius: *Hic dies natalis eſt ἀλέκτορος, ideſt innuptæ ac Virginis Palladis, præſenſque dies ἄδικος ἐστιν ideſt, a fori litibus eſt vacuus*: huncque Caſaubonus ad Athenæi locum: *Palladem vocat ἀλέκτορα, hoc eſt ἀειπάρθενον ſemper Virginem*. Uti vero alitis, ita & homininis aliquando *ἀλεκτρυών* nomen fuit, uti ex Zenobio habemus, hoc inter Proverbia adferente: *Φιλίππου Ἀλεκτρυών. Αὕτη τάττεται ἐπὶ τῶν ἐν μικροῖς κατορθώμασιν ἀλαζονευομένων. Ἀλεκτρυὼν γάρ τις ἐγένετο Φιλίππου στρατηγὸς, ὃν ἀπέκτεινεν, ὥς φασὶ, Χάρης ὁ Ἀθηναῖος· μέμνηται δὲ αὐτοῦ Ἡρακλείδης ὁ Κωμικὸς καὶ Ἀντιφάνης*. (4) PHILIPPI GALLUS. *In eos dicitur, qui in leviculis ſucceſſibus ſe ſe jactant*. HOC QUI-

(1) Lib. Stratagem. VII. Cap. 3.
(2) Schrevel. in Lex. ad ill. voc.
(3) Lib. *Deipnoſ.* III. Cap. 20.
(4) Centur. Proverb. VI. n. 34.

Digitized by Google

DEM NOMINE *Dux quidam Philippo Regi fuit , quem Cares Athenienſis , ut ferunt , occidit . Proverbio utitur Heraclides Comicus , & Antiphanes .* Nec illud ſane mirum ; quot enim Romanorum occurrunt in Hiſtoria homines nomine , aut cognomine etiam GALLI ! Quot vernaculis in Linguis ! Quanta olim fuit hodieque Gentium eſt copia , latino ſermone , eo nomine donata ! Invenio & UPUPAM ἀλεκτρυόνα olim appellatam ; dictaque ἀλέκτωρ gemma hujus nominis, de qua Hermolaus apud Plinium. (1)

XXXVII. Suſpicor Græcorum quemdam nummum ab ipſis fuiſſe ἀλεκτρυόνα ſive GALLUM appellatum. Primum hanc in ſuſpicionem me verba trahunt quæ Socratem moriturum Cimoni dixiſſe refert Plato : Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα· ἀλλὰ ἀπόδοτε, καὶ μὴ ἀμελήσατε. (2) *Æſculapio debemus* GALLUM. *At perſolvite , ne id negligatis.* Quod equidem omnes de ſacrificio interpretantur facto ab Socrate Æſculapio. Quam male autem , ex pervia profecto animadverſione noſci poteſt . Quis enim adfirmare velit , Hominem Patriorum Numinum irriſorem , ob idque morte ab omnibus Civibus damnatum : Quis hominem credat , extremo etiam in periculo ſecurum , & propoſiti tenacem , quemdemum impavidum abſtulit Cicuta , ſacrificium obtuliſſe Æſculapio ? Non id verborum emphaſis , non id evincunt ejus vitæ ratio , & quæ inde ſequuta referuntur . Gallum autem Æſculapio non morituri homines , ſed ſanitati reſtituti priſtinæ offerebant . Itaque credere par eſt , Socratem ſe argenti debitorem eſſe recordatum alicui cui nomen Æſculapius (quis ignorat enim Deorum nomina fuiſſe aliquorum etiam nomine mortalium ? De Judæo agunt Acta Apoſtolorum cui nomen APOLLO erat ; Ἰουδαῖος δέ τις Ἀπολλὼς ὀνόματι : (3) & S. Paullus in Epiſtola ad Romanos ſalvere jubet Ἑρμῆν , (4) hominem videlicet nomine MERCURIUM.

MER-

(1) Jacob. Tuſan. Lexic. Græc. ed ill. voc.
(2) Plat. in Phædon. verſ. fin.
(3) Cap. XVIII. 24.
(4) Cap. XVI. 14

Mercurios immo frequens, uti obſervatum Walchio, (1) ſuos Græci Sophiſtas appellabant; quare cur non & Medicos appellaverint *Æſculapios?* Reapſe Octavius Ferrarius, qui totus in veteri erat nomina efferendi ratione retinenda, ſuæ Medicos ætatis Æsculapios appellabat. *Nam,* inquiebat (2) *recentes* Æsculapii, *qui tabe confectis, ac pane animam agentibus colorem & ſanguinem inducere tentant, ac pallentia in ipſa morte ora purpuriſſo obducunt, ne illi egregii Mangones ſunt, non Medici.* Plures Mortalium denique fuiſſe nomine Æsculapios Fabricio oſtenſum.) (3) Socratem, inquam, ſuſpicor ſe argenti debitorem recordatum homini, cui nomen Æſculapius, extremis illis verbis ſolvi præcepiſſe debitum; quam ſane agendi rationem cum ceteris ejus convenire actibus neminem clam eſt. Nummum vero aliquem, ſeu aliquod nummorum genus fuiſſe apud Græcos gallum appellatum, pervium creditu ſane facit eorum, uti & Veterum ceterorum, mos, Numiſmata illorum appellandi Nominibus Brutorum, quæ in eiſdem inſculpta viſebantur. Zenobius in Proverbiis: Βοῦς ἐπὶ γλώττης. Παροιμία ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παῤῥησιάζεσθαι, διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων νόμισμα ἔχειν Βοῦν ἐγκεχαραγμένον. ὅπερ ἐκτίνειν ἔδει τοὺς πέρα τοῦ δέοντος παῤῥησιαζομένους. (4) Bos in lingua. *Proverbium in eos qui libere loqui non poſſunt; ab Athenienſium nummo, cui Bos inſculptus, quem liberius æquo loquentes pendere cogebantur.* Pene eadem habet Diogenianus: Βοῦς ἐπὶ γλώσσης. Ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παῤῥησιάζεσθαι. διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων τὸ νόμισμα βοῦν ἔχειν. οἱ γὰρ δωροδοκούμενοι σιγᾶν κεκρατῆνται. (5) Bos in lingua. *In eos qui libere loqui non poſſunt. Ab Athenienſium numiſmate, cui Bos impreſſus. Qui enim muneribus corrupti, ii fere muti ſunt.* Paullo aliter Julius Pollux: Ἔνιοι Δηλίων, ἐπὶ

(1) Not. ad Diatrib. *De Præm. Vet. Soph.* §. V.
(2) Epiſt. ad Franciſc. Bollan. Venet.
(3) Tom. I. *Bibl. Græc.* Lib. I. Cap. 2. & ſeq.
(4) Centur. II. Prov. 70.
(5) Centur. III. Proverb. 48.

Digitized by Google

ὐκ Ἀθηναίων, ἴδιον εἶναι νόμισμα τὸν Βοῦν νομίζουσιν. ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὴν παροιμίαν εἰρῆσθαι, Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, ἐπεί τις ἐπ' ἀργυρίῳ σιωπήσειεν. (1) *Nonnulli Deliorum, non Athenienſium, proprium quoddam Numiſma eſſe* Bovem *intelligunt. Heinc quoque dictum eſſe Proverbium* Bos linguam conſcendit, *quum quis argenti cauſſa tacuit*. Recte autem eam Numiſmata inſculptorum appellandi nominibus Brutorum rationem ceteris dixi aſſerendam etiam Gentibus. Corinthi nummus cudebatur Πῶλος *Equinus Pullus* appellatus, quod Equi Pegaſi formam haberet impreſſam, uti ex Libro Pollucis Nono explicat Caſaubonus; (2) Idemque, Ezechiele Spanhemio obſervante, apud Colonias videre fuit a Corinthiis deductas. (3) Quod autem Geneſeos in Libro emptum legitur *centum agnis*, (4) Apoſtolorum in Actis dicitur emptum *pretio argenti*; (5) quod nempe de Numiſmate intelligendum Agni imagine inſignito, ideoque AGNI nomine appellato. Recte Druſius ad illum Geneſeos locum, AGNOS dicit nummos agni figura vel imagine ſignatos. „ Ita multi putant, & poteſt verum eſſe. Nam „ & aliæ Gentes idem fecerunt. Sic nummus apud Athenienſes Bovis imagine ſignatus, Βοῦς dicebatur. Similiter Corvus apud Baſileenſes moneta erat Corvi habens „ effigiem. Hodie Aquilas, & Leones inſculpunt, unde „ & nomen ſortiuntur. Noti ſunt Daleri Leonini, ſed Angeloti ab Angeli figura nomen accepiſſe putantur. Conjectura hæc eo credibilior mihi videtur, quod Jacob pecuariam exercuerit. Nam Paſtor, ſi pecoris imaginem „ imprimat nummis ſuis, nihil mirum. „ Hæc Druſius, quem illuſtris alius Commentator, Amama nempe, ſequutus examuſſim eſt his verbis: „ Cl. Druſius arbitratur „ nummos fuiſſe *Agni imagine* ſignatos, quod Priſcis non „ fuiſſe

(1) Lib. IX. Cap. 6.
(2) De Satyric. Poeſ. Lib. I. Cap. 5.
(3) Diſſert. V. & IX. *De Præſt. & Uſu numiſmat.*
(4) Geneſ. XXXIII. 19.
(5) Act. Apoſt. VII. 16.

Digitized by Google

„ fuiſſe inſolens docet. Argivi Lupum, Theſſali Equum, „ Cyziceni & Lycii Leonem, Rhegini Leporem, alii Cer- „ vum, alii alias Pecudes, nummis impreſſere. Apud A- „ thenienſes nummus erat *Bovis* imagine ſignatus, qui & „ Bos dicebatur. Servius Romanorum Rex Bovum Ovium- „ que imaginibus primus ſignavit æs, nnde & forte pecu- „ nia dicta. Alii, ut Macrobius, id Jano attribuunt. In „ Deliacis ſpectaculis ſi cui munus dandum erat, teſte Ju- „ lio Polluce, a Præcone proclamabatur, tot ei Boves dan- „ dos. Addit ille in Draconis Legibus exſtare Legem „ *περὶ τῦ ἀποτίνειν δεκάβοιον de pendendis decem Bubus*. Si „ eo ſenſu dixit Vulgatus *centum nummis* quo Athenien- „ ſes dicebant *centum Boves*, nihil culpo, hac præſuppo- „ ſita Conjectura nummos hos Agni effigie fuiſſe ſigna- „ tos. Hodie videmus Numiſmata Aquilarum, Leonum, „ &c. effigiem habentia, & Corvorum, unde Corvi Baſi- „ lienſes. Friſii Orientales quoque nummum habent, quem „ Ovem vocant. „ Hæc ille. Jam vero oſtendendum mihi haud ſupereſſe arbitror, Numiſmata Græcorum bene multa fuiſſe olim, GALLI imagine inſignita; infinita nempe colligi ex Auctoribus poſſunt, quæ aut de re Græcorum Numiſmatica, aut illorum de Antiquitatibus ſcripſerunt, præſertim ex Cl. Spanhemio de Præſtantia & Uſu Numiſmatum agente. (1) Itaque & alitis nomine potuerunt eadem inſigniri, unde haud extra rem colligere poſſe videamur, moriturum Socratem non de alite, ſed de numiſmate loquutum, quod Æſculapio neſcio cui, homini certe, præcepit perſolvendum.

XXXVIII. Hac vero interpretatione, hujus ſive conjectationis haud obſcura luce, viam demum ſterni poſſe arbitror carmini Sophoclis explicando, quod, Geniorum exiſtentiam oſtenſurus, adtulit Plutarchus, ſive dum plurima Diis tribui contenderet, quæ Ipſis evenire haud poſſe exiſtimabat, raptus nempe, occultationes exſilia, ſervitutes,

(1) Differt IV. Num. I.

tes, cetera demum, quæ de Geniis modo poſſe dicebat adfirmari. Scribit ergo: Οὐ Θεῶν εἰσιν ἀλλὰ δαιμόνων παθήματα, ϗ τύχαι μνημονευόμεναι δι' ἀρετὴν ϗ δύναμιν αὐτῶν. ϗ οὔτε Αἴσχύλος εἶπεν ἁγνόν τε Ἀπόλλω φυγάδα ἀπ' οὐρανοῦ θεὸν, οὔτε ὁ Σοφοκλέους Ἄδμητος, ἐμὸς δὲ ἀλέκτωρ αὐτὸν ἦγε πρὸς μύλην. πλεῖστον δὲ τῆς ἀληθείας διαμαρτάνουσιν οἱ Δελφῶν θεολόγοι, νομίζοντες ἐνταῦθα ποτε πρὸς ὄφιν τῷ Θεῷ περὶ τοῦ χρηστηρίου μάχην γενέσθαι. ϗ ταῦτα ποιητὰς ϗ λογογράφους ἐν θεάτροις ἀγωνιζομένους λέγειν ἐῶντες ὥσπερ' ἐπίτηδες ἀντιμαρτυροῦνται ὧν δρῶσιν ἱεροῖς τοῖς ἁγιωτάτοις. (1) „ Non Diis iſthæc „ evenerunt, ſed Geniis, quorum caſus, ob virtutem ipſo„ rum & potentiam, memoriæ ſunt proditi; & neque Æ„ ſchylus recta dixit:

Caſtumque Apollinem extorrem Cælo Deum:

„ Neque Sophoclis Admetus:

Hunc Gallus molarem ad lapidem duxit meus.

„ Longiſſime autem a veritate aberrant Delphorum Theo„ logi, qui putant hic aliquando Apollinem cum Draco„ ne de Oraculo decertaſſe: patiunturque iſta dici a Poe„ tis & Oratoribus in Theatris de palma contendentibus, „ ac quaſi dedita opera teſtimonio ſuo damnantibus ea quæ „ ipſi in ſanctiſſimis agunt Sacris. „ *Admeti* porro *Gallus Deum ad molam ducens*, nodus eſt hoc in capite ſolvendus. Jam vero notiſſimum ex Fabulis, Apollinem Admeto ſerviviſſe, eſto haud Mythologi conveniant in cauſſa adferenda talis Servitutis, uti apud veterem videre eſt Euripidis Scholiaſtem ad Prologum Alceſtis. Id neceſſitate & inopia compulſum Appollinem cælo extorrem præſtitiſſe nonnulli dixerunt, PRETIO iccirco ab Admeto fuiſſe, ac MERCEDE conductum. Clemens utique Alexandrinus ceteros inter MERCENARIOS Deos Apollinem etiam recenſet; & apud eundem Panyaſſis:

Paſſa Ceres, paſſuſque inſignis Mulciber, eſtque
Paſſus Neptunus, paſſuſque eſt PHOEBUS APOLLO

Mor-

(1) Plutarch. *De Oracul. Defect.*

Digitized by Google

Mortali ipſe ſuas operas MERCEDE *locare*
Paſſus Marſque ferox irato a Patre coactus.
Τλῆ μὲν Δημήτηρ, τλῆ δὲ κλυτὸς Ἀμφιγυήεις.
Τλῆ δὲ Ποσειδάων, τλῆ δ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
Ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ θητευσέμεν εἰς ἐνιαυτὸν
Τλῆ δὲ καὶ ὁ βριμόθυμος Ἄρης, ὑπὸ πατρὸς ἀνάγκης. (1)

Hunc igitur in Clementis ac Panyaſſis ſenſum Sophoclis carmen enarrandum ducimus, ceu dicere Admetus voluiſſet: *Hunc nummus molarem ad ladipem duxit meus*; GALLUM uſurpans loco nummi, quod aliquod numiſmatum genus, illius ex impreſſa figura alitis, vocaretur *Gallus*; ea videlicet dicendi ratione, qua Lex erat de *pendendis decem Bobus*, & ager emptus dicebatur *centum agnis*; unde conſequatur, vocem ἀλέκτωρ non a Socrate modo, ſed etiam a Sophocle, numiſmati cuidam denotando fuiſſe uſurpatam.

XXXIX. Non bellicoſum vero tantum hominem, aut Virginem, Conjugem, aut nummum ſignificavit aliquando vox profecto ambigua ἀλέκτωρ, ſed etiam TUBICINEM, ſeu BUCCINATOREM, atque BUCCINAM. Et de BUCCINATORE quidem teſtis Athenæus, apud quem Demades celebris Orator *publicum Athenienſium Tubicinem, publicum eſſe dicebat Athenienſium Gallum*. Δημάδης ὁ ῥήτωρ ἔλεγε τὸν Σάλπιγκτὴν εἶναι κοινὸν Ἀθηναίων ἀλέκτορα; (2) eumque popularem fuiſſe quendam dicendi morem arbitror, quod frequentiſſimus ejuſdem fuerit Comicos apud Vates uſus, videlicet apud Ariſtophanem. Xanthiam Servum quendam hic inducit Auctor ſuo de Hero (qui Judex erat) talibus querentem:

Φράσω γὰρ ἤδη τὴν νόσον τοῦ δεσπότου.
Φιληλιαστής ἐστιν, ὡς οὐδεὶς ἀνήρ.
Ἐρᾷ τε τούτου τοῦ δικάζειν, καὶ στένει,
Ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου.

 Ὕπνου

(1) Clem. Alex. *In Trotrept.*
(2) Lib. Deipnoſoph. III. Cap. 21.

"Υπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασπάλην
Ἢν δ' οὖν καταμύσῃ κἂν ἄχνην, ὅμως ἐκεῖ
Ὁ νοῦς πέτεται τὴν νύκτα περὶ τὴν κλεψύδραν.
Ὑπὸ τοῦ δὲ τὴν ψῆφον γ' ἔχειν εἰωθέναι,
Τοὺς τρεῖς ξυνέχων τῶν δακτύλων, ἀνίσταται,
Ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς νουμηνίᾳ.
Καὶ, νὴ Δί' ἂν ἴδῃ γέ που γεγραμμένον
Τὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλὸν.
Ἰὼν παρέγραψε πλησίον, χημὸς καλός.
Τὸν ἀλεκτρυόνα δ', ὃς ᾖδ' ἀφ' ἑσπέρας, ἔφη,
Ὡς ὄψ' ἐγείρειν αὐτὸν ἀναπεπεισμένον,
Παρὰ τῶν ὑπευθυνῶν ἔχοντα χρήματα. (1)
Nam quo laborat morbo Herus, nunc eloquar.
Celebrat Tribunal & forum quantum pote:
Tum judicandi amore flagrat, ac gemit,
Si prima Judex non premit ſubſellia;
Noctuque ſomni ne quidem ciccum videt:
Si forte connivere cœpit, at volat
Huc animus uſque & totus eſt ad Clepſydram.
Tantum tenendo calculo aſſuefactus eſt,
Digitos ut excitatus hos tres contrahat,
Ceu tus acerra imponat in novilunio.
Si forte ſcripta vidit ad quaſdam fores
Hæc verba; Bellus Pyrilampis vicus eſt:
Tum pro ſuo addit more, bellus fiſcus eſt.
Aitque GALLUM (Præconem) *ſignum dantem veſpere*
Argento ab ipſis eſſe corruptum Reis,
Ut excitet ſe ſerius quam uſus velit,

Convenit igitur hic cum Demade Ariſtophanes, Fori TUBICINEM, Fori GALLUM elegantiſſime appellans. Et nonnullos quidem ſcurrilitatem aliquam hoc audivi ſuſpicatos in loco, hyperbolem eſſe adſerentes (quæ Græci Scholiaſtæ videtur etiam opinio) ut Spectatores in riſum ſolutos excitaret Ariſtophanes, quod Comici ſibi potiſſimum pro-

(1) In Veſp. 87. & ſeq.

Digitized by Google

proponunt. Verum ſi voce illa *Gallus*, Fori ad TUBICINEM Xanthias haud reſpexit, qualis obſecro, Galli alitis, aut ejus vocis, concipi poteſt nexus cum Foro, cum tempore Reos judicandi? Tota ſcurrilitas in eo certe ſita eſſet, quod alitem diceret, *argento* ab ipſis fuiſſe corruptum Reis, ut ſerius ſe excitaret, quam uſus poſceret. Aſt vel ſtertente Gallo quis adhuc ambigat, Auroram advenire, aperiri Forum, Reos in Judicium vocari? Itaque Xanthiæ verba ad TUBICINEM ſunt Fori referenda, quem Herus ex libidine judicandi ſuſpicabatur ab ipſis pecunia fuiſſe corruptum Reis, ut ſerius quam uſus poſceret aperiendi Fori ſignum ederet. Non videtur autem debuiſſe de alite Herus queri, intempeſtive, & extra ſtatas horas plurimum clangente, de illo, qui aurora modo, modo adventante ſtridet veſpere, de illo, qui nunc ſemel modo bis, terve etiam, aut millies, aliquando ſemper, aliquando canit nihil; illis demum de alitibus *uſus* non poteſt adfirmari, quorum tacente uno, tacet etiam alter, aut uno contingenter clangente, pudet alterum tacere: heinc ire & redire ſine fine voces, & nullum quieti eſſe locum. Hocce reipſa ex moleſtiſſimo infinitum contracanendi modulo, dum de ratione ageret, qua Seni eſſet Reſpublica gerenda, exemplum optime eruit Plutarchus, quo graves Homines a contradicendi ſtudio in Concione deterreret. *Hoc modo etiam*, inquit, *Senex oratione utetur, non identidem ad Suggeſtum proſiliens, neque Galli in morem* CANENTIBUS CONTRACANENS, *neque colluctando & irritando verecundiam ipſi a Junioribus debitam effrænans, neque iis ſtudium ingenerans, & conſuetudinem refragandi, ſed nonnumquam iis ſuam ſententiam impugnandi facultatem concedens, abſens ipſe, & nihil curioſe inquirens, ubi id, de quo diſputatur non habet magnum momentum ad communem ſalutem, & honeſtatem, & decorum*. (1) Οὕτω δὲ πως καὶ λόγῳ χρηστέον ἐν ἐκκλησίᾳ πρεσβύτην γενόμενον, μὴ ἐπιπηδῶντα συνεχῶς τῷ βήματι· μηδὲ ἀεὶ

(1) Plutarch. *An Sen. ſit Reſp. gerend.*

δίκην ἀλεκτρυόνος ἀντᾴδοντα τοῖς φθεγγομένοις, μηδὲ τῷ συμπλέκεσθαι καὶ διερεθίζειν ἀποχαλινοῦντα τὴν πρὸς αὐτὸν αἰδῶ τῶν νέων, μηδὲ μελέτην ἐμποιοῦντα, καὶ συνήθειαν ἀπειθείας καὶ δισηκοΐας, ἀλλὰ καὶ παρέντα ποτὲ καὶ διδόντα πρὸς δόξαν, ἀναχαιτίσαι καὶ θρασύνεσθαι, μηδὲ παρόντα, μηδὲ πολυπραγμονοῦντα: ὅπου μὴ μέγα τὸ κινδυνευόμενόν ἐστιν πρὸς σωτηρίαν κοινήν, ἢ καλὸν καὶ πρέπον. TUBICEN erat igitur, non ales, dato clanges tempore GALLUS Ariſtophanis.

XL. Nam Tubicinem ejuſmodi dantem Concionis ſignum vocat rurſus ille *Gallum*, quem iterato clanxiſſe fingit, ex Athenienſium more, quorum Buccinator *ſemel* ad ἐκκλησίας, uti ad Κυρίας, ordinaria videlicet ad Judicia, aut ad ſtatas Conciones, Tuba ſignum dabat, bis autem clangebat ad Συγκλήτας ἐκκλησίας, quas & Κατεκκλησίας appellabant, ac Καταικλησίας, ad SUBITARIAS nempe ſuper nonnullis magni momenti rebus CONCIONES, ſi quando ſubitum aliquod inexpectatum, ancepſque Bellum, de quo decernendum foret, immineret, aut Civilia quædam, citius quam ſtatis effici in Concionibus datum eſſet, expediri poſtularent. (1) In celebri igitur Fœminarum, quam Græcorum pro ritibus Ariſtophanes ſimulat Concione, de mercede loquens, quam ſperare non poterat, qui ad Concilium ὕστερος ἔλθῃ τοῦ σημείου (2) ſigno dato ſerius veniſſet, hiſce Actores inducit ſuos loquutione, qua de agimus, verba commutantes:

> Βλ. Οὐδ᾽ ἂρ ἐγὼ λάβοιμι νῦν ἐλθών; Χρ. Πόθεν;
> Οὐδ᾽ εἰ μὰ Δία τὸ τ᾽ ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον
> Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο. (3)

> Bl. *Neque ego capiam* (mercedem) *nunc jens?* Chr. *Unde?*
> *Non pol, etiamſi eo profectus eſſes, cum* ſecunda vice
> GALLUS (Præco) *ſonum dedit*;

ob nimiam videlicet, inſolitamque Judicum, qui ad Concio-

(1) Potter. Lib. Archæol. Græc. I. Cap. 17.
(2) In Verſ.
(3) In Concionatricib.

cionem venerant, ſeu Fœminarum copiam; quarum una idem ad Concilium pergens jam antea dixiſſe ſimulatur.

"Ωρα βαδίζειν, ὡς ὁ Κήρυξ ἀρτίως
Ἡμῶν προσιόντων δεύτερον κεκόκκυκεν. (1)
Nunc eundi tempus eſt; Præco enim modo
Nobis procedentibus iterum coccurriit.

Vides ad Κατεκκλησίαν, univerſi nempe Populi cogendam Concionem, repetitum Tubæ ſonitum. Vides vocem ἀλέκτωρ *Gallus* Tubicini aut Buccinatori denotando, verbum κεκόκκυκεν (qui Gallorum modus) Buccinæ ſive Tubæ modulo ſignificando, uſurpatum. Græculus, fateor, Scholiaſtes metaphoram hoc in loco potius ad nomen Κήρυξ, quam verbum ad κεκόκκυκεν ſcripſit eſſe referendam; quod ante diem eſſet Fœminarum Concio. Quaſi vero convenire ante Lucem reipſa non conſueviſſet Areopagiticus Senatus; quaſi mane reipſa non fuiſſent κηρύγματα καλουμένων ἐπὶ δίκας; uti videbimus ex Teſtimonio Hiſtorico Plutarchi. Obſtat certe Græculi opinioni recentiorum auctoritas Interpretum, allegoriam non nomini, ſed verbo aſſerentium. (2) Infinitum autem miſeris ævi medii Græculis præſtant in Antiquitatibus primorum enucleandis temporum Scriptores illi, qui a renatis Litteris antiquiſſimos illuſtravere Vates. Græculi, aut ego fallor, haud mali aliquando ſunt Grammatici, præterea profecto nihil. Scholiaſtæ obſtant interpretationi Dramatis etiam, ſeu Comœdiæ Leges, quas Ariſtophanem calluiſſe indubium eſt. Quum enim Satyricum adverſus Rempublicam Platonis tunc ipſe, videlicet ἐν Ἐκκλησιαζούσαις agat, veram æmulari debuit, dilucularem nempe, uti in Acharnanenſibus etiam facit, Athenienſium Concionem; verum repræſentare ſuis cum ritibus Concilium, ex noto, uti Venuſinus ait, (3) fictum carmen ſequi, topica uti phraſi, atque ethnico illo dicendi modo,

(1) In Conciliatricib.
(2) Potter. L. 6. *Archæol.* I. Cap. 17.
(3) Lib. II, *De Art. Poetic.*

do, quo NOCTURNUS TUBICEM ἀλέκτωρ *Gallus*, & modus quo TUBA FORENSIS obſtrepere conſueverat, κοκκύζειν dicebatur. Nec enim rudes adeo ſumus, ut Satyricam hic Græcorum Poeſim, quæ tota utique Dramatica, cum Romanorum confundamus Satyra. Optamus animadverti modo quæ Viri hiſce in rebus docuere verſatiſſimi: magna videlicet adfinitate junctam olim cum Græcorum & Latii Comœdia Romanorum Satyram fuiſſe, quæ *Sermo* dicebatur, quod ejus Oratio, quam πεζὸν λόγον *pedeſtre eloquium* vocabant, ſponte & ſine cura fuſa, *quotidiano eſſet ſimilis Sermoni*; & nihil æque quam rerum & dicendi ſimplicitatem, (cui haud uſitatæ voces quammaxime adverſæ) nihil æque quam *topica & dominantia verba*, *receptiſſimoſque dicendi modos*, uti Lucilianam Satyram, ita exornaſſe etiam Comœdiam. (1) Eo autem Ariſtophanem ſcripſiſſe ſtylo videntur crediſiſſe, qui Græcarum in ſtudio Antiquitatum vel olim cum laude verſati ſunt, vel hodie verſantur, quod res illius Gentis judiciarias, uti etiam cetera, ex hujus præſertim Comici Operibus ſerio deducant. Egregie hac de re Æmilius Portus Franciſci Porti Cretenſis Filius: *Multa in Ariſtophane valde damnanda fateor, multa tamen in eodem magnam laudem merentur. Omnem dictorum, omnem factorum impuritatem, ac impietatem damno: ſed Attica Lingua puritas, elegantia, Copia, ſuavitas in variarum vocum aptiſſima compoſitione felicitas*, MULTORUM VOCABULORUM, RERUMQUE *ad* FORUM, *ad* JUDICIA, *variaſque Scientias ſpectantium interpretatio cur a me damnetur?* (2)

XLI. Uſus eſt igitur voce ἀλέκτωρ Ariſtophanes ad Buccinatorem Fori denotandum, quod Mulierum Concioni, pro forma Areopagitici Senatus convocandæ ἀωρὶ νυκτῶν διὰ τὸν ὄρθριον νόμον, (3) nocturno Tubicen buccinare ſoleret

(1) Caſaubon. *De Roman. Satyr.* Lib. II. Cap. 3. Crenius In Not. ad ill. loc.

(2) Epiſt. ad Odoard. Biſet.

(3) In Concionatricib.

ret tempore, ceu profuturas ad Concilium e ſomno excitaſſet, coegiſſetque Lectum diluculo relinquere. Jam enim ab Concionatricibus exauditum fuerat Concionis illius ſignum, ſtellæ adhuc tamen fulgeſcebant, ἔτι ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανὸν, (1) tempus Concionis nondum aderat, ad auroram uſque erat expectandum ἡ ἐκκλησία δ' ἕως γενήσεται. (2) Uſus verbo eſt Ariſtophanes κεκόκκυκεν, ratione ſtriduli acutique ſonitus, & ſimilis ſtridori Galli Gallinacei, ratione etiam modi, quo, alitis illius inſtar, FORENSIS reſonabat BUCCINA; Litterarum enim conſtitutionem ad ipſius rei, ipſius ad normam moduli concinnare ſolent Poetæ, quod a Latinis Vatibus factum non ſemel, uti in illis:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Conſpexit terra centum percurrere Currus.
At Tuba terribili ſonitu Taratantara truſit.

Sic gemitus audire vere credis apud Homerum legens:

Δεύοντο ψάμαθοι, δεύοντο δὲ τεύχεα φωτῶν
Δάκρυσι. (3)

Laudatus imo etiam Homerus a non amico Homine Plutarcho, quod non editos etiam articulatim ſonos ſcriptis expreſſiſſet tamen aliquando vocibus, uti in illis φυσᾶν, πιπίζειν, μυκᾶσθαι, Βρονᾶν, δοῦπος ἄραβος, Βόμβος, ῥοχθεῖ, ἀνέβρυχε, σίζε, quæ talia porro ſunt, ut ſignificatiora non invenias. (4) Apud Ælium etiam Dionyſium de illo, qui, Ovium more, *Be Be* dicens ridebatur, eleganter Cratinus:

Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον Βη Βη λέγων βαδίζει,

ſic enim olim Βη Βη pronunciatum autumant; nam & Euſtathius Βη Βη μιμητικὸν dicebat τῆς τῶν προβάτων φωνῆς & φωνῆς προβάτων σημαντικόν. (5) Quam ſane loquendi rationem,

(1) In Concionatricib.
(2) In Concionatricib.
(3) Iliad. XXIII. 15.
(4) Plutarch. Lib. de Homero.
(5) Ad Lib. Iliad. III.

nem, qua videlicet Veteres maxime, vocibus utebantur animalium ad humanos ſonitus haud ſemel exprimendos, aut animalium vocis nomine ipſaſmet hominum voces denotabant, familiarem demum, ac ethnicum ceſſiſſe in ſermonem palam eſt. Βοεῖα ῥήματα, *Bubula* is dicebatur protuliſſe *verba*, qui magna verba effudiſſet; (1) & Κατὰ Βοὸς εὔχῃ οἷον μέγα εὔχῃ: (2) *Bovina precare voce*, videlicet immenſa.

XLII. Enimvero etſi frequentiſſimi in Onomotopœia eſſent Græci, maxime autem Attici, etſi Græci eſſent, uti ait ſapientiſſime Vir Clariſſimus Bottarius, *imponendorum nominum Magiſtri*, (3) nullum tamen aptiorem inveniſſe arbitror dicendi modum, eo quo *Buccinatorem Fori* appellavere Gallum. Si enim & ceteras cauſſas prætermittimus, quibus uſi eo ſunt Demades ac Ariſtophanes, & ad ſolam ejus etymologiam animum convertimus, videre procul dubio erit, quam facile fuerit, metaphoram illam popularem evaſiſſe, ac vulgatiſſime receptam. Alitem reapſe

Auroram clara conſuetum voce vocare

magno in Etymologico dictum legimus ἀλέκτορα, ἀπὸ τοῦ λέκτρων πετέσι τοῦ κοιτῶν ἡμᾶς διεγείραν. (4) quod videlicet Lectum nos relinquere, quod nos expergiſcere faciat e ſomno. Alitibus id vero ac Græcorum buccinatoribus quis non æque convenire videat? matutino namque tempore Græcarum Urbium Tubicines, ſive Præcones etiam, vocare ad forum Judices, Clientes, Cauſidicos ſolebant, idque propemodum præſtare voce ac Tuba ſua, quod ſuo quoque præſtare clangore ſolent, aut feruntur *Vigiles nocturni, quos in excitandis in Opera Mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit*. (5) Teſtis illius moris op-

(1) Suid. Cent. Proverb. IV. 38.
(2) Diogenian. Cent. Proverb. V. 90.
(3) Orat. in Archigymn. Rom. habit.
(4) Lagu. Etymol. ad ill. voc.
(5) Plin. Lib. Hiſtor. Natural. X. Cap 21.

Digitized by Google

optime Plutarchus, qui περὶ καιροῦ συνουσίας hiſce etiam veſpertinum ac matutinum tempus rei peragendæ idoneum minus eſſe contendit: Τὴν γὰρ ἑσπέραν ὦ ἑταῖρε, τῶν πόνων ἀνάπαυσιν, τὴν δὲ ὄρθρον, ἀρχὴν. καὶ τὴν μὲν ὁ Λύσιος ἐπισκοπεῖ Διόνυσος, μετὰ τῆς Τερψιχόρης καὶ Θαλίας, ὁ δὲ πρὸς ἐργάνην Ἀθηνᾶν καὶ τὸν ἀγοραῖον Ἑρμῆν ἐπανίστησι. διὸ τὴν μὲν ᾠδαὶ κατέχουσι καὶ χορεῖαι, καὶ ὑμέναιος: χῶμοί τε, εἰλαπίναι, καὶ ἠχήεις θρέος αὐλῶν. τὸν δὲ κτύποι ῥαιστήρων, καὶ τριγμοὶ πριόνων, καὶ τελωνικῶν ἐπορθρισμοὶ κεκραγμῶν, καὶ κηρύγματα καλουμένων ἐπὶ δίκας ἢ θεραπείας τινῶν Βασιλέων ἢ ἀρχόντων, ἐν ᾧ καιρῷ φροῦδα τὰ τῆς ἡδονῆς, λήγει δὲ Κύπρις θαλίαι τε νέων: οὐδὲ τι θύρσος φίλος Βακχείου, συντείνουσι γὰρ φροντίδες. (1) „ Veſperam enim, mi Sodalis, laborum requiem, diluculum labori initium novimus: illamque a ſolvendo dictus „ Lyſius Bacchus regit cum Terpſichora & Thalia: hoc „ nos ad Opificem Minervam, & forenſem Mercurium excitat. Itaque veſperam cantus occupant, Choreæ, Hy- „ menæi,

Comique & Cœnæ, & reſonanti fiſtula cantu;

„ Mane audias malleorum ſonitus, & ſtridores ferrarum, „ & Publicanorum antelucanas vociferationes, & PRAECONUM CLANGORES in Judicium vocantium, aut ad navandam Regi vel Principi operam, quo tempore nullus „ voluptati locus eſt,

Ceſſatque Cypris & Adoleſcentum vigor,

„ neque Bacchi jam thyrſus, aut coronæ uſurpantur, curis ſe ſe incendentibus. „ Quam belle igitur Præcones hoſce, homines e ſomno, quum jam diluceſceret, in opera excitantes, inque Judicium vocantes, quam belle, inquam, Attici appellavere GALLOS!

XLIII. Demadis igitur in ſenſu ea Veterum interpretanda loca arbitramur, quæ exoriente luce, datoque diluculi tempore, exauditum quo de agimus repræſentant ſonitum. Sic apud Theognidem illa:

(1) Lib. Sympoſ. III. Quæſt. 6.

Digitized by Google

'Αλλ' ἐγὼ αὐτομάτη
'Εσπερίη τ' ἔξειμι. καὶ ὀρθρίη αὖθις ἔσειμι,
Ἦμος ἀλεκτρυόνων φθόγγος ἐγειρομένων. (1)
Sed ego ultronea
Serotinaque egredior, & matutina rurſus ingredior
Cum Gallorum (PRAECONUM) *clangore exſuſcitaremur.*

Sic apud Auctorem Βατραχομυομαχίας Pallas:

Ἐγὼ δ' ἄυπνος κατεκείμην
Τὴν κεφαλὴν ἀλγοῦσα, ἕως ἐβόησεν ἀλέκτωρ.
Ego autem inſomnis jacebam
Caput dolens, donec clamavit FORENSIS *Gallus.*

Meliſſa demum ad Bacchidem ſuo de Chatino, *Verum, ille ſummo mane a me diſceſſit, ſtatim ad Galli*, hoc eſt PRAECONIS, *vocem experrectus*. πλὴν ἀλλ' ὁ μὲν ἕωθεν ἀπελήλυθει, τοῦ ἀλεκτρυόνος εὐθὺς ἄσαντος. (2) Demadis, inquam, interpretatione ac phraſi hæc ſatius arbitror ſumenda. Eſto quippe fuerit Demades Sophiſta, eſto Græcorum in Sophiſtis poeticas frequentiſſime inveniamus loquutiones; aſt cum USU VULGARI tamen aliquando convenientes. Quot enim voces, quot loquutiones allegoricæ, in receptas vulgo tranſeunt, ac demum in Gentiles? Poeticis loquutionibus deditum fuiſſe Gorgiam Oratorem in Vitis Sophiſtarum edocet Philoſtratus; quot adhuc tamen Helladis univerſæ homines, quot floreſcentes Civitates, vulgari etiam in ſermone *Gorgizabant*, eidem Philoſtrato ſi fides? Potuerunt igitur hac in re *Demadizare*, potuerunt ſenſim ſine ſenſu, voce metaphorica GALLUS uti Græci, ad publicum Tubicinem denotandum. Quot reapſe haud uſitata in præſens, adparerent, recepta olim tamen, apud Græcorum Vulgus allegorica etiam nomina, ea ſi ſupereſſe potuiſſent, quæ ἐν Ἐθνικαῖς ὀνομασίαις collegerat Callimachus? Quot cognoſcerentur gentiliter olim apud Lacedæmonios dicta, ſi vocabula adhuc dum reliqua eſſent, olim ab Ariſtophane Gram-

(1) P. 682.
(2) Lucian. Dialog. IV. Meretr.

Grammatico collecta? (1) Duo vulgarium in origine nominum, eorumque uſu ſtatuenda eſſe docent Sapientes omnes. Alterum quidem, contingentiſſimis cauſſis, eutrapeliæ aliquando, illuſtriſſima deberi ac vulgatiſſima cognomina atque nomina: alterum, iis Vulgus facillime uti vocibus, quæ rem ſenſui ad vivum magis exhibent, atque repræſentat. Certum autem eſt, clarius expreſſiuſque nonnulla exprimi aliquando ac ſignificari, *translatis*, ita ut dicam, *quibuſdam*, *allegoriis*, ac *metaphoris*, quam propriis nominibus, quæ fere ex arbitrio ſignificant, ſi generatim maxime accipiantur, neque uni tantum rei, unoque tantum ejuſdem rei muneri denotando deſtinata ſint. Hocce autem profecto diſcrimen inter nomen Σαλπιγκτὴν & aliud ἀλέκτορα inveniri quis non videat, *antelucano in Tubicine* ſenſui ad vivum repræſentando? Primum quidem hominem exprimit Buccina clangentem, ignoratur quo tamen tempore, & qua de cauſſa, num videlicet ob feſtivitatem ac ſacrificium? num ad hilaritatem provocandam, num ad animos in prælia ciendos? Ἀλέκτωρ ex oppoſito illum ſtatim menti repræſentat, qui clangore facto Mortales excitat e ſomno, qui ſtridente ſonitu re de futura admonet; unde aptum *publico Tubicini matutinum danti ad Judicia ſignum* nomen facile vel Populo videri potuit, fieri ac eſſe uſitatum. Majorem immo quam ceteris in vocibus ſignificatione metaphorica uſurpatis, interceſſiſſe apud Veteres, *Gallum* inter ac *Tubicinem* nexum ex eo palam eſt, quod quæ alitis ſunt, BUCCINATORI tribuere ſoliti eſſent ac PRAECONI, & quæ *Tubicinis*, quæ *Præconis* erant, dicerent de Gallo. Athenienſium nempe TUBICEN, *publicus* dicebatur Athenienſium *Gallus*, & Gallus appellabatur BUCCINUS, ſive BUCCINATOR; ait ſiquidem illo de Alite Petronius: *Non ſine cauſſa hic* BUCCINUS *ſignum dedit*. (2) De Præcone dicebatur, uti vidimus, κοκκύζειν, qui ſonus

(1) Meurſ. Miſcell. Lacon. Lib. III. Cap. 6. 7. 8.
(2) Cap. LXXIV.

eſt Galli Gallinacei; de Gallo autem Κηρύσσειν dicebatur, quod munus eſt proprium Præconis:

Πάλαι δ' ἠῶς ἀλέκτωρ Κηρύσσων,

uti veterem apud Vatem; (1) Gallum etiam appellabant Κήρυκα νυκτὸς καὶ προφήτην ἡμέρας, primum denique Cantorem:

Νεύμεθα κἄμμες ἐς ὄρθρον, ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδὸς
Ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ. (2)
Redibimus & nos, ubi PRIMUS CANTOR
E cubili ſuo inſonuerit;

quare haud procul dubio mirum, ſi νυκτεγερτὸν Κήρυκα, MATUTINUM videlicet BUCCINATOREM, vocaverint elegantiſſime ἀλέκτορα; ea videlicet mutua Catachreſi, qua Σάλπιγξ Minerva dicebatur, quod Tubæ fuerit inventrix; (3) & Ἀθηνᾶς vocabatur Tuba, quod inventa fuerit a Minerva (4). Metaphoræ autem hujuſmodi, quæ mutua ſignificatione, mutua conveniunt allegoria, ceu a natura conſtitutæ, vulgatiſſimi cito evadunt dicendi modi, ac univerſales.

XLIV. Hoc adeo in voce qua de agimus verum eſt, ut non prophanos modo Auctores atque Vates, verum & Scriptores etiam Eccleſiaſticos, *matutinum Tubicinem*, pro recepta loquendi phraſi, facile credam ſolitos fuiſſe appellare *Gallum*. Conſtitutionum ſiquidem Apoſtolicarum Auctor, de precibus verba faciens, quas ſtatis horis primorum concipiebant Chriſtiani temporum, hiſce horæ ſignum, qua e ſomno excitati orare illi conſueverant deſcribit: Ἀλεκτρυόνων δὲ κραυγῇ, διὰ τὸ τὴν ὥραν ἐπαγγελίζεσθαι τὴν παρουσίαν τῆς ἡμέρας. (5) *Clangentibus Gallis, eo quod illa hora nunciet adventum diei*. Quinam vero illi GALLI, niſi publici TUBICINES, niſi Præconum VOCES atque TUBAE, exo-

(1) Epigramm. Græcor. Lib. VII.
(2) Theocrit. Idyll. XVIII.
(3) Lycophron. Caſſandr. c. 914.
(4) Scaliger. Lib. Poet. I. Cap. 20.
(5) Lib. VIII. Cap. 14.

Digitized by Google

exorientis Lucis ſignum dantes, inque Judicium, aut ad navandam Principi operam vocantes? Optime evincit id pulcherrimus magni Frontonis ad Conſtitutionum verba, pene dicam, Commentarius, ad quæ procul dubio Virum Cl. reſpexiſſe arbitror, dum primorum de Chriſtianis temporum egit ſapienter. Ita quippe ſcribit: *Signis autem ad ea* (Religionis Acta) *utuntur publicis, quæ data fuere in* Ur*bibus, quibus aurora ſurgens, & diei horæ diverſæ ſignificatæ ſunt*. (1) Et rurſus: *Mane dato publico ſigno exorientis Lucis, quod fieri ſolebat in Urbibus, ſimul omnes* (Chriſtiani) *ſurrexerunt*. (2) Horas reapſe tertiam, ſextam, & nonam publico in Urbibus reſonaſſe ſigno docuit Tertullianus, ubi eas Apoſtolorum in Actis memoratas ait, *ut inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtingunt, quæ* PUBLICE RESONANT, *ita & ſolenniores fuiſſe in Orationibus divinis* (3) Hieronymus autem ad Euſtochium de ſtatis loquens ſuo tempore Orationis horis: *Horam tertiam, ſextam, nonam,* DILUCULUM *quoque & Veſperam nemo eſt qui neſciat*. (4) Nempe hæ omnes horæ publico ſignificabantur ſigno, non Æris quidem Campani, quo vix ſextum ante Sæculum Occidentales uſæ ſunt Eccleſiæ, uti ſapientiſſimo Cardinali olim LAMBERTINO memoratum; (5) ſed ſigno a TUBICINE, ſeu PUBLICO PRAECONE facto, qui antelucani ratione ſonitus *Gallus* diceretur; quare ad PRAECONES advenientis Auroræ, ſurgentique Lucis ſignum dantes, Apoſtolicarum Auctor Conſtitutionum reſpexiſſe dicendus eſt, quum *Gallis adventum diei nunciantibus*, orandum, ceu dato ſigno ſtati temporis, conſtituit. Simile quid apud Orientis Populos, morum veterum tenaciſſimos adhuc dum obtinere legimus, quorum, uti ajunt, Sacerdotes ſuper editas quaſdam tur-

res

(1) De Vit. primor. Chriſtianor.
(2) De Famil. Chriſtian.
(3) Lib. *De Iejuniis*.
(4) Epiſt. XVII. Lib. II. Edit. Canis.
(5) Tom. II, *Notif. & Edict.* Not. 1.

res clamitando, Populum DILUCULO excitant, & ad Orationem convocant, uti notiſſimis ex Auctoribus palam eſt. (1)

XLV. Jam vero non advenientis modo Lucis ſignum dabant ejuſmodi Præcones, aut ſtata ad Judicia DILUCULO vocabant, verum & CONCIONES etiam POPULI, *matutino tempore*, Tubæ ſonitu cogebant. Homericas omitto quum jam diluceſceret frequens celebratas: In poſterioribus etiam Græciæ Scriptoribus invenire idem eſt. Heinc & Meleander apud Barclajum, qui hac adhuc in re antiquos ritus in Argenide finxit ſua: *Optimi Cives*, inquiebat, (2) *& Hoſpites, quos hic dies in multiplicis fœderis ſanctitatem coegit: agite omnes, gratamini Regibus veſtris, & quod契 ſupereſt Lucis, inter ſacra impendite. Venire in craſtinum univerſos jubeo ad aulæ veſtibulum. Illic & Populus præterea, & Milites implebunt* CONCIONEM, *ne quis Deorum conſilia ignoret, qui neſcio an aliis unquam verius quam nobis indulſerint.* UBI PROPE ORTUM SOL FUIT, *quotquot Panormi erant, impediti frondibus caput, confluxerunt ad Regiam.... Poſtquam Reges præbuere ſe Populo, &* PRAECO *plauſum compeſcuit, nonnihil moratus Meleander, inquit &c.* Itaque & ad ejuſmodi Conciones ſignum ANTE DIEM a Præconibus factum eleganter indigitavit Auctor Βατραχομυομαχίας hiſce verſibus:

Ὡς δ' ἔμαθον τὴν μοῖραν, ἔδυ χόλος αἰνὸς ἅπαντας.
Καὶ τότε κηρύκεσσιν ἑοῖς ἐκέλευσαν ὑπ' ὄρθρον
Κηρύσσειν ἀγορήνδ' ἐς δώματα Τρωξάρταο
Ὡς δ' ἦλθον σπεύδοντες ἅμ' ἠοῖ.
Quos, poſtquam audierant mortem, gravis impulit ira,
Præconeſque Tuba SOLIS JUSSERE SUB ORTUM
Troxartæ Populos ad Regia Tecta vocare.

Et interjectis paucis:

Illi

(1) Montalban. *De Morib. Turcar.* Commentar. Sanſovin. Lib. II. *De Orig. Imp. Turcar.*
(2) Lib. V.

Illi præcipites, RADIARE UT LUMINE MONTES
Conſpiciunt, ſummi petiere Palatia Regis.

Jure igitur ac merito Ariſtophanes Præconem, cum Xanthiæ Herum ſtata ad Judicia, tum Mulieres etiam diluculare ad CONCILIUM evocantem, topica Athenienſium phraſi, appellavit GALLUM.

XLVI. Hac immo eadem de cauſſa muſicale Inſtrumentum quo diluculo clangebant, Græci demum appellavere ἀλέκτορα, quod eruere ex idonea aliquorum eſt interpretatione carminum Jonis apud Athenæum. Ita namque Vates ille:

Ἐπῆ δ' αὐλὸς ἀλέκτωρ λύδιον ὕμνον Ἀχαιῶν. (1)

Reſonabat Tibia e ſomno excitans Lydiū Hymnū Achivorū. Caſaubonus enim Tibiam, in loco, ἀλέκτορα, GALLUM nempe, dictam adſerit, *quod & Gallus Gallinaceus, & Tibia cantus dormientes excitant;* (2) eademque ratione Dalecampius, *Tibia*, inquit, (3) ἀλέκτωρ *dicta, quod dormientes cantu inſtar Gallorum expergefaciat.* Ego, aut fortaſſe fallor, rei nucleum mihi videor adtingere quodammodo, Jonemque reſpexiſſe morem arbitror, quo de memorat diligentiſſime Plutarchus. *Plataenſes*, inquit Græcus iſte Auctor, *inſtituerunt Græcis, qui ceciderant illic & humati fuerant, quotannis parentare: quod in hanc diem ad hunc faciunt modum. Memacterionis menſis, qui apud Bœotios eſt Alalcomenius, ſexto decimo die pompam agunt, quam antecedit* PRIMA LUCE TUBICEN CLASSICUM CANENS, *ſequuntur plauſtra myrti & coronamentorum plena, taurus niger, libamina in amphoris vini & lactis, croſſaque olei & unguenti adoleſcentes ingenui ferunt.* οἱ πλαταιεῖς ὑπεδέξαντο τοῖς πεσοῦσι καὶ κειμένοις αὐτόθι τῶν Ἑλλήνων ἐναγίζειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· καὶ τοῦτο μέχρι νῦν δρῶσι τοῦτον τὸν τρόπον. τοῦ Μαιμακτηριῶνος μηνὸς (ὅς ἐστι παρὰ Βοιωτοῖς Ἀλαλκομένιος) τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα πέμ-

(1) Athen. Lib. *Deipnoſ.* IV.
(2) Not. in Athen. Lib. *Deipnoſ.* IV.
(3) Not. in Athen. Lib. *Deipnoſ.* IV.

Digitized by Google

πέμπουσι πομπὴν, ἧς προηγεῖται μὲν ἅμ ἡμέρᾳ σαλπιγκτὴς, ἐγκελευόμενος τὸ πολεμικὸν, ἕπονται δ᾽ ἅμαξαι μυῤῥίνης μεσταὶ καὶ στεφανώματα καὶ μέλας Ταῦρος. καὶ χοὰς οἴνου καὶ γάλακτος ἐν ἀμφορεῦσιν, ἐλαίου τε καὶ μύρου κρωσσοὺς κομίζοντες ἐλεύθεροι. (1) Hanc igitur Græcorum *Tubam* funebri Heroum feſto claſſicum diluculo canentem, αὐλὸν ἀλέκτορα Jon appellavit, *antelucanam* nempe *Tibiam*, *Tibiam matutinam*, *Tibiam e ſomno excitantem*; ceu idem illo contigiſſet apud Platæenſes die, quod apud Romanos Pridie Idus Aprilis, quo magnæ Matris adventus Romam colebatur. Inquit enim qui feſtum deſcribit Vates: (2)

Protinus inflexo Berecynthia Tibia cornu
Flabit, & Idea Feſta Parentis erunt.

Buccina ſiquidem mane reſonante venientis celebritatem diei edicebant. Verius igitur, ratione quo clangebat temporis, uti & flebilis ratione ſonitus, ſuæque ratione formæ, *Buccinam* illo nomine denotare Jon voluit Achivorum in funere ſonantem: Carmen iccirco Ἐπῆν δ᾽ αὐλὸς ἀλέκτωρ λύδιον ὕμνον Ἀχαιῶν recte interpretabimur: *Reſonabat vero* Buccina *lydiis modis in funere Græcorum*. Lydiis namque modis Heroum qui vixere laudes Priſci celebrabant; unde Venuſinus:

Virtute functos, more Patrum, Duces
Lydis remiſto carmine Tibiis,
Trojamque & Anchiſen & almæ
Progeniem Veneris canemus. (3)

Erat ſiquidem lydia harmonia, uti ex Platone monet diligentiſſime Plutarchus: ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον, (4) acuta, vehemens, ſtridenſque, comploratiónibus etiam apta, animos dejiciens, affligenſque, τὴν μὲν τὸ θρηνῶδες καὶ φιλοπενθὲς ἡμῶν ἐγείρουσαν τῆς ψυχῆς. (5) Requirebatur igitur

(1) Plutarch. Vit. Ariſtid.
(2) Ovid. Lib. Faſtor. IV.
(3) Ode XV, Lib. 4.
(4) Tractat. De muſic.
(5) In Politic.

igitur Inſtrumentum quod lydiam illam efficere valeret harmoniam, ſonumque mœſtum reddere, acrem, ſtridulum, acutum, uti ex Horatio iterum dignoſcere eſt canente:

Quem Virum aut Heroa Lyra, vel ACRI
TIBIA *ſumes celebrare Clio?* (1)

Hujuſmodi ergo *acrem Tibiam* eleganter ut deſignaret ille Vates, eam ex ſono deſcripſit ſuo, ex acuta voce ſua ſtridula, obſtrepente, ex voce Gallinacea, aut ex ſono ſimili voci Galli Gallinacei, iccirco αὐλὸν ἀλέκτορα appellavit; erat enim Veteribus conſuetum nonnulla non modo animalia ex vocis quem efferrebant nominare modulo, uti ab תור, qui ejus ſonus, nomen derivatum Turturis; (2) verum muſica magis Inſtrumenta nominibus Brutorum, quorum voces imitari ſono videbantur, denotare. Prætereo quæ Cuperus ad illa Minucii Felicis commentatur, *Et diſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum;* dictum nempe Inſtrumentum illud, *Siſtrum ad hirundinem* doctiſſime oſtendit, quod tinnitum haberet argutum, & cantui Hirundinis ſimilem. (3) Quot Veterum hacce in re, quot Recentiorum adferre poſſem teſtimonia! Ab voce tamen qua de agimus evagari minus placet Ita de illa Joannes Doirſma: „ Ἀλέκτωρ Tibia *ob cantus ſimilitudinem*. Neque „ quiſpiam mirabitur Tibiam GALLUM, ſive ἀλέκτορα di- „ ctam a ſono. Plura poſſent adduci exempla, quæ doce- „ rent Inſtrumenta quædam muſica *ab Avibus eorumque ſo-* „ *no* eſſe nuncupata. Sic *Milvus*, ut & *Milvina Tibia* no- „ men acceperunt a ſono, docente Voſſio in Etymologia. „ *Milvina* vero eſt Tibiæ genus ſoni acutiſſimi juxta Fe- „ ſtum. Eodem modo *Croton* notat Inſtrumentum muſi- „ cum, quod in ſono vocem *Ciconiæ* imitatur. Feſtive ergo „ Petronius Ciconiam vocat CROTALISTIAM, quod κρότος, „ ſive crepitus Ciconiæ ſit familiaris. Ut ergo MILVINA

K „TI-

(1) Ode XII. Lib. 1.
(2) Buxtorf. in Lexic. ad ill. voc.
(3) Epiſtol. ad Cleric. XXI.

Digitized by Google

„ TIBIA, quod ſonum Milvi, ut CROTON dicitur, quod, „ ſonum Ciconiæ imitetur; ſic etiam Tibia ἀλέκτωρ GALLUS „ dici poteſt, quod ſonum Galli Gallinacei ſonorum ac „ bene reſonantem imitetur. (1)

XLVII. Hujuſmodi αὐλὸς ἀλέκτωρ tamen, ſive *vocis acris Inſtrumentum* jure dici Tibia non poterat, ſed BUCCINA verius appellata a nobis eſt, eamque mentem fuiſſe arbitramur Vatis apud Athenæum; quippe muſicum Inſtrumentum, acrem illum ſonum edens, figuram & formam non Tibiæ ſed BUCCINAE habebat. Monitum Athenæo, Græcos veteres, ad efficiendum vocis acris Inſtrumentum, communi Tibiæ Tyrrhenium adjeciſſe orificium, κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀναλογοῦν τῷ τῶν σαλπιγκτῶν κώδωνι, (2) ratione cujus, Inſtrumentum illud gravem quod per ſe reddidiſſet ſonitum, acuti efficiebatur Inſtrumentum ſonitus, addito nempe ad exacuendam vocem ejus, Tyrrhenicæ Tubæ ſimili, & Codoni Tubæ reſpondente patulo orificio. Nil ſimile vero magis, quam illius figura Tibiæ, cui Tyrrhenium Cornu adjicere ſolebant, ac figura *Buccinæ*. Palmaris Tibia illa erat, obque additamentum illud, Campanulæ in formam deſinebat, uti mox ex Athenæo vidimus, quo cum Euſtathius conſentit: Τὸν κώδωνα κεκλασμένον ἔχουσα. (3) *Buccina* autem ex deſcriptione Flavii ad hunc ſe habebat modum: *Longitudine quidem erat paullo minus cubitali: ſed ejus fiſtula anguſta, Tibia craſſior aliquantulum; ea vero oris amplitudine, quæ ad ſpiritum idonea eſſet excipiendum, ſimiliter ac Tuba in Campanulam deſinens.* μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγῳ λεῖπον. στενὴ δ' ἐστὶ σύριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα, παρέχουσα δὲ εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος, εἰς κώδωνα ταῖς σάλπιγξι παραπλησίας τελευτῶν. (4) Hancque hujuſmodi fuiſſe *Buccinæ* figuram

(1) Animadv. ad Obſerv. Philol. Altman.
(2) Lib. Deipnoſoph. IV.
(3) Ad Iliad. Homer. Lib. XVIII.
(4) Lib. Antiq. Jud. III. Cap. 12.

ram ex celeberrimi Maimonidis Conſtitutionibus de שופר, perpetuoque ad eaſdem Cl. Ugolini Commentario confirmatum vehementer . Immo quum vetus Auctor adfirmaverit, *αὐλῶν ὡς μόσχυ λοξὸν ἔκαμψε κέρας*, (1) quis Inſtrumentum haud ſtatim videat ſimile prorſus BUCCINAE, *quae*, ex Vegetii deſcriptione, (2) *in ſemetipſam aureo Circulo flectitur!* Latinis iccirco dicebatur Vatibus:

ADUNCO *Tibia* CORNU; (3)
INFLEXO *Tibia* CORNU, (4)

quæque obſtrepebat

Phrygio TIBIA CURVA *ſono*: (5)
Revocante FLEXO *concitos* CORNU *modos*. (6)

Hoc igitur quod in ſemetipſum veluti circulo flectebatur Inſtrumentum , quodque acrem ſtridulamque & Gallo Gallinaceo ſimilem habebat vocem , ratione cujus erat complorationi aptum, quo demum antelucano clangere ſolebant tempore, ut dormientes, Gallorum inſtar, ejus ope , expergefacerent e ſomno , hoc , inquam , Inſtrumentum elegantiſſime appellavit Vates *αὐλὸν ἀλέκτορα*, ut BUCCINAM proprie denotaret, & eam quidem Judæorum, uti ex recta palam fit alterius interpretatione carminis, ejuſdem Vatis apud Athenæum.

XLVIII. Hoc autem illud:

Προθεῖ δέ τοι σύριγξ Ἰδαῖος ἀλέκτωρ, (7)

quod multi quidem explicare ſatagunt, aſt nullus fortaſſe Numine ſecundo . Alluſiſſe tunc Jovem ſuſpicatus eſt Caſaubonus ad Idæum Homeri in Iliade nobilem ac celeberrimum Præconem , appellaſſe iccirco Præconem ait ſeu Tubicinem, Fiſtulam atque Gallum Gallinaceum. (8) Verum

(1) Epigr. Græc. Lib. VI. Cap. V, n. 1.
(2) Lib. III. *De Re Militar.* Cap. V.
(3) Ovid. Lib. 1. *De Pont.* Ep. 1.
(4) Id. Lib. *Faſtor.* IV.
(5) Tibull. Lib. III. Eleg. 1.
(6) Senec. in Troad.
(7) Lib. Deipnoſoph. IV.
(8) Not. in Athen. Lib. Deipnoſ. IV.

Digitized by Google

Verum haud animadvertit Vir, ceterum doctiſſimus, alios fuiſſe populares olim Præcones, ſeu Tubicines, alios PRAECONES BELLICOS, qui Caduceum in manibus geſtantes, Legatos ad ſanciendam cum Hoſtibus pacem præcedere ſolebant. Teſtis hujuſce rei apertiſſime Ulpianus: *ἰςέον δὲ ὅτι ἄλλος ἦν ὁ Κῆρυξ τοῦ δήμου, καὶ ἄλλος ὁ τοῦ πολέμου, ὁ προηγούμενος τῶν πρέσβεων, πρὸς τὸ αὐτοὺς πείσασθαι εἰρήνην πρὸς τοὺς πολεμίους, βαςάζων καὶ σύμβολον τὸ κηρύκιον.* (1) *Sciendum, alium fuiſſe* PRAECONEM POPULI, *alium* PRAECONEM BELLI, *qui Legatum antecedebat ad ſanciendam cum Hoſtibus pacem, ferens ſignum quod Caduceum nominant*. Apud Homerum reapſe ita IDAEUS Præco ſe gerebat, quem profecto nunquam buccinaſſe legimus, iccirco nihil illi prorſus eſſe poterat cum Fiſtula, aut etiam cum alite. Ut igitur idoneam ad interpretationem carminis via ſternatur aliqua, animadvertendum, haud equidem extra rem, Judæos ignaris ab Gentilibus IDAEOS fuiſſe appellatos. Ita certe Tacitus: *Judæos Creta Inſula profugos, noviſſima Lybiæ inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Jovis pulſus ceſſerit Regnis. Argumentum e nomine petitur, inclytum in Creta* IDAM *montem, accolas* IDAEOS, *aucto in Barbarum cognomento, Judæos appellari*. (2) Ἰδαῖος igitur ἀλέκτωρ hoc eſſe videtur in loco *Judæorum Buccina*, quod uti *Idæos* appellare ſoliti Ethnici eſſent Judæorum Gentis homines, ita & *Idæa* appellare etiam debuerint quæ muſicalia erant Judæorum Inſtrumenta. Quare mihi videre videor Poetæ in carmine quandam dulciſſimam venuſtatem, ob ſuppreſſum videlicet eleganter, in ea quam adfert ſimilitudine, ſimilitudinis adverbium; ac ſi metri legibus dicere potuiſſet Jon: *προθεῖ δὲ τοι σύριγξ ὡς Ἰδαῖος ἀλέκτωρ*· hoc eſt: *Præcurrit vero fiſtula tamquam Judæorum Buccina*: *Præcurrit* altera veluti *Judæorum Buccina*, ceu alter *Judæorum Populi Buccinator*. Infinita hujuſcemodi venuſta-

(1) Enarrat. in Orat. Demoſt. Contr. Timocrat.
(2) Lib. Hiſtor. V.

nuſtatis ferri in medium poſſent ex Hebræorum Dialecto, & ex Auctoribus Græcis exempla, quæ apud Maſclefium uberrime proſtant. (1) Infinita etiam ex præſtantioribus Latii Vatibus quorum adfert teſtimonia Cl. Vulpius; (2) aſt quum in Græci carminis interpretatione verſemur, pulcherrimum ſatis in præſens ſit Antipatri ex Epigrammate ſumtum, novem ubi celebrat veteres Vates Fœminas, quas inter,

Πρήξιλλαν, Μυρώ, Ἀνύτης ςόμα, θῆλυν Ὅμηρον.

Mirarentur enim dubio procul, qui Græcarum ignorarent dulce ingenium Litterarum, neque fortaſſe ſtatim intelligerent, quid illa ſibi verba vellent, *Anitis os*, *mulierem Homerum*. Verum mirari ſtatim etiam deſinerent, ſi ſupplendum eſſe ὡς animadverterent, aut ſubticentem etiam ſimilitudinis adverbium, in mente habuiſſe, exhibere immo voluiſſe Vatem, idoneam, ac pulcherrimam ſimilitudinem; adeo quidem ut Θῆλυς Ὅμηρος haud aliud hoc ſit in loco, quam Θῆλυς ὡς Ὅμηρος, ſignificetque:

Myron, *Praxillam*, *æqualemque Anytin Homero*.

Sive, Anytin *alterum Homerum*, *doctam inſtar Homeri*, doctam VELUTI Homerum. Eadem igitur ratione Jonem ſignificare voluiſſe arbitror, ita, alicujus ſubintellige cantum, aut aliquid ad agendum, Fiſtulæ præcucurriſſe ſonitum, *veluti*, *tamquam*, *ceu*, ſimilis ratione ſonitus, Judæorum BUCCINA, aut ſi mavis, ratione forſitan officii, Judæorum BUCCINATOR, qui publicos ante Gentis ſuæ ſive ſacros, ſive prophanos etiam Actus BUCCINA clangere ſolebat.

XLIX. Quoniam vero vox hæc ἀλέκτωρ uſurpata olim fuit non ad alites modo denotandos, verum & ad Græcos ſignificandos homines, & Athenienſes, tum Virginem, aut Conjugem, tum etiam Gemmam atque nummum, determinatos demum Viros, Upupam, Buccinatorem, Buc-

(1) Gramm. Hebr. Cap. XXVII. Num. IV. ſ. 4.
(2) Comment. in Carm. Catull. LXVI.

Digitized by Google

Buccinam ; uno ut dicam verbo, quoniam vox hæc ἀλέκτωρ HOMONYMIA videtur laborare maxima , ut ad id, unde digreſſi ſumus , tandem aliquando revertamur, inquirere in præſens eſt, an Chriſti & Evangeliſtarum verba, *πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, antequam Gallus cantet* , ſive *ſonum edat* , ad Prænuntium Lucis alitem referenda ſint, an alium ſatius ad ſenſum pertrahenda jure videantur . Optimum, aut ego fallor, mihi videtur ejuſmodi præſcribere in Inquiſitiones Canonem Joannes Henricus Hottingerus ubi ſcribit: *Ob frequentes Linguarum Orientalium alluſiones, in diverſa, imo in oppoſita aliquando abeunt Interpretes . Quare allaborandam eſt, ut primo conſtet verborum ſignificatus. Neutiquam hic ſufficit hanc vel illam notionem voci ab aliquibus tribui. Quamquam qui ad ductum Lexici in vocibus transferendis exercitati ſunt, & ſibi & aliis videantur Linguarum Magiſtri , qui tamen non multum differunt ab illis, qui nec Litteras noſcunt . Uti hi enim verba aliqua transferunt ex mente Tranſlatoris, ita illi ex judicio Lexicographi. Reperies qui per plures annos Linguas excoluerunt, quique excellere habentur , qui tamen rationem ſignificatus præter auctoritatem, quæ tamen neutiquam ſufficit, reddere nequeunt. Juvat porro* EMPHATICAS VOCES *probe explicare, quæ ſcilicet ſingularem vim in ſe continent, reſpiciuntque ad naturam , vel typum, vel actionem, vel tale quid. Cognita enim hac ἐμφάσει , res ipſa, quæ voce illa inſignitur , lucem accipit*.(1) Itaque quum plures per ſe, exque nuda Lexicorum vi habere ſenſus poſſint verba a Chriſto , abque Evangeliſtis enunciata, haud ex auctoritate modo, aut ex Lexicis, interpretanda ſunt, ſed ad vim quam in loco habent, ad emphaſim eorum in enarratione reſpiciamus neceſſum eſt , ad naturam facti atque adjectorum, ad ea quæ illa evenire nocte opus erat, ad ea quæ anteceſſere, quæque ſubſecuta ſunt, Paſſionis ad Hiſtoriam, ad mores etiam Judæorum, ad ſolvendorum denique rationem objecto-

(1) Præf. *ad Moſ. & Aaron.* Goodvvin.

Digitized by Google

jectorum, quæ omnia non aliti, aut nummis, aut Græcis, ceteriſque, aliquibus quæ denotare vidimus in locis, ſed FORENSI modo JUDAEORUM BUCCINATORI, aut etiam BUCCINAE videntur aſſerenda. Duo ſiquidem in Quæſtionibus, quæ ad ſenſum Scripturarum pertinent, obſervanda docet Sanctiſſimus Præceptor Thomas: *Primo quidem, ut veritas Scripturæ inconcuſſa teneatur. Secundo, ut cum Scriptura divina multipliciter exponi poſſit, quod nulli expoſitioni aliquis ita præciſe inhæreat, quod ſi certa ratione conſtiterit hoc eſſe falſum quod aliquis ſenſum Scripturæ aſſerere præſumat, ne Scriptura ex hoc verbo ab Infidelibus derideatur, & ne eis via credendi præcludatur*. (1) Itaque quum verum eſſe poſſe videatur, nullos in Urbe ſancta ali olim potuiſſe Gallos, Judæorumque domos, Chriſti mortis tempore, domui ſomni ſimiles fuiſſe; nempe,

Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat Auroram;, (2)

quum aliorum huicce Objecto Reſponſa nobis arbitraria, ipſoque incertiora prorſus videantur; quum vocem ἀλέκτορα BUCCINAM & BUCCINATOREM ſignificare poſſe certum ſit, & ſignificaſſe aliquando; quum celebriores apud Hiſtoricos Poeticæ non modo, ſed & ad Plebis ſermonem propius accedentes voces frequentiſſime inveniantur; Natura enim, uti Clariſſimus ait, & Sapientiſſimus BOTTARIUS, (3) earum tenaciſſimi ſumus phraſium, quas annis rudioribus percepimus; quum loquutionem e circo ac e trivio petitam uſurpaſſe Caſaubonus arbitretur Lucam ſcribentem: Καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες, (4) cum ſupplemento, quod ſubticuit, nominis βαλβίδος, (5) (neque enim populares illæ voces majeſtati divinorum valent Bibliorum derogare. *Nolo offendaris*, ad Paulinum Hieronymus

(1) Prim. Part. Quæſt. LXVIII. Art. 1.
(3) Ovid. Metamorph. Lib. XI.
(3) Luc. XIV. 18.
(4) Præf. Epiſtolar. ad Hiſtor. Barl. & Joſeph.
(5) Caſaubonian. p. 75.

mus ſcribebat, (1) *in Scripturis Sanctis ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum : quæ vel vitio Interpretum, vel de induſtria ſic prolata ſunt, ut ruſticam Concionem ſic facilius inſtruerent, & in una edemque ſententia aliter Doctus, aliter audiret Indoctus.*) Quum denique ſingularia quædam Græcorum Poetarum verba, phraſeſque ac metaphoras apud eoſdem ſpeciali quodam modo receptas, eodem plane ſenſu ab Evangeliſtis fuiſſe uſurpatas concedat vel Pſochenio Gatakerius; ejuſmodi licet Poetarum loquutiones idiotiſmum inde haud probare jure ac merito evincat; (2) idonea videtur nobis conſequutione ſequi, Servatorem Petro dicentem, πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, ſignificare voluiſſe, ratione maxime temporis habita, rei qua de agebatur, futuræ Paſſionis atque Judicii, forenſium morum, Perſonarum, omnium denique Adjectorum, ſignificare, inquam, voluiſſe, *Antequam* BUCCINATOR *ſignum det*; vel *Antequam* BUCCINATOR *Tuba clangat*, ad CONCIONEM videlicet POPULI convocandam; Evangeliſtaſque ſcribentes: καὶ ἐφώνησεν ἀλέκτωρ, exprimere forenſibus ac propriis voluiſſe terminis: *Et* BUCCINA *ſignum* JUDICII *dedit* : *Et* CONCIONEM BUCCINA *vocavit* : *Et* TUBA *ſua clanxit ad Cœtum forenſem vocandum* BUCCINATOR.

L. Et de modo quidem dicendi ſermo ſi eſſe debeat, res profecto patet quammaxime per ſe. Quam belle enim Ariſtophanis PRO RITU FORI verba: ὅτε τὸ δεύτερον Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο, & illa quoque Κήρυξ δεύτερον κεκόκκυκεν, de quibus jam a nobis diſputatum eſt, univerſam ad POPULI CONCIONEM EXTRA ORDINEM & SUBITARIO congregandam, quam belle, inquam, cum verbis Evangeliſtæ Marci conſonant, ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε, quæ neque cum ſtata, neque convenire cum intempeſtiva poſſunt alitis vociferatione : quum optime ex oppoſito enodentur, explicenturque, ſi de FORENSI interpretentur GALLO, videlicet TU-

(1) Epiſt. II. Lib. II. Edit. Canis.
(2) Diſſert. *De Styl. Nov. Teſt.*

Digitized by Google

TUBICINE BIS clangente Judæorum ad Concilium (quod ſtatim coactum ſane) congregandum! Eadem enim ut de cauſſa, ἐκ δευτέρου dictum eſſe apud Marcum, quo τὸ δεύτερον apud Ariſtophanem procul dubio fateamur, quid neceſſe aliud, niſi ut in memoriam mox explicata revocemus, magnas videlicet in Republica adminiſtranda partes, tempeſtate illa, Judaicum ſibi vendicaſſe Populum: in rebus maximi momenti, inque judicandis violatæ Religionis Reis PRO GRAECANICORUM FORMA CONVENTUUM, advocari POPULI CONCIONEM debuiſſe; id haud alio quam BUCCINAE ſive TUBAE ſigno fieri ſolitum fuiſſe, BIS quidem clangente, aut juxta vetus olim Domini Præceptum, quo cum clangendum erat ad congregandos Principes, tum iterum ad agmen convocandum univerſum; ſive *pro Græcanicarum ritu Urbium*, quo de diximus, probatis ex Auctoribus diſcrimen explicantes, ſtatas inter Conciones, & CONCIONES REPENTE CONVOCATAS; quotidianis quippe Judiciis, Concionibuſque ſtato celebratis tempore, ſignum vidimus *forenſi a Gallo*, ſive *publico Tubicine* fuiſſe ſemel factum, BIS vero ad συγκλητοὺς ἐκκλησίας congregandas, uti reipſa ad repente & extra ordinem convocandam Mulierum Concionem apud Ariſtophanem *publicus Gallus*, PRAECO, *ſecunda vice* Tuba clanxit, δεύτερον Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο, ac Κῆρυξ δεύτερον κεκόκκυκεν. Heinc videt quiſque Evangeliſtas jure conciliatos. Qui enim ſimpliciter dixere, πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, quum ſignificare iteratum voluiſſent Κατεκκλησίας ſignum, cum Marco certiſſime convenere, δὶς ac δεύτερον, pro forenſi more, exprimente.

LI. Hanc immo eſſe verborum Chriſti interpretationem nemo pene dubitabit, animadverſione facta ſuper vi, quam in loco habet verbum etiam ἐφώνησε. Haud ignoratum quidem, & Brutorum ſonos dici aliquando voces, Suida ſcilicet in voce φωνὴν ex Philopono dicente: διὸ καὶ οἱ τῶν ἀλόγων ψόφοι φωναί: eorum adhuc tamen in ſententia verſari minime liceret, qui nullam eſſe crederent potiorem

in verbo quo de agimus rationem, cur de BUCCINA illud potius, quam de alite hoc in loco interpretandum arbitremur: argumento videlicet Helleniſtarum ex phraſi pene perpetua deſumto, φωνὴν σάλπιγγος pro ἦχον σάλπιγγος *vocem Tubæ* pro *Tubæ ſonitu* uſurpantium. In Pſalterio Salomonis, Opus, uti Hebraiſmum, ita Septuaginta Senum ſtylum referens, atque, Huetii ſententia, (1) alicujus Helleniſtæ ſacrorum in Lectione Librorum detriti, plurimaque cum ex Davidis Pſalmis, tum ex Iſaja etiam & Ezechiele mutuati, ita Pſalmus incipit octavus: Θλίψιν καὶ φωνὴν πολέμου ἤκουσε τὸ οὖς μου· φωνὴν σάλπιγγος ἠχούσης σφαγὴν καὶ ὄλεθρον. (2) *Tribulationem &* VOCEM BELLI *audivit auris mea*, VOCEM TUBAE *ſonantis cædem & interitum*. Vides *vocem Belli*, bellico pro ſonitu, *vocem Tubæ*, pro Tubæ ſonitu uſpatam. Chriſtus apud Matthæum: Καὶ ἀποστελεῖ τοὺς Ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης. (3) *Et mittet Angelos ſuos cum Tuba* VOCIS MAGNAE. David in Pſalmo: Ἀνέβη ὁ Θεὸς ἐν ἀλαλαγμῷ, κύριος ἐν φωνῇ σάλπιγγος (4) *Aſcendit Deus in Jubilatione, Dominus in* VOCE TUBAE. Nempe Septuaginta ab Hebraica phraſi ſuam derivarunt, עלה אלהים בתרועה יהוה בקול שופר modum videlicet dicendi שופר קול vetere in Teſtamento frequentiſſimum, verbis φωνὴν σάλπιγγος perpetuo exprimentes. (5) Helleniſtica enim Dialectus hebraica eſt, phraſim ſi ſpectas, Græca vero ſi Grammaticam ſpectas atque Linguam. Vociferatio igitur illa quam exhibent Evangeliſtæ, HEBRAICO MORE, pro ſonitu uſurpanda eſt; ſiquidem apud Hebræos etiam ריע generalius *vociferari* denotabat, licet aliquando proprie ſignificaret *Tuba clangere*; unde תרועה & Buccinæ clangor erat, & voci-

(1) Propoſ. IV. *Demonſtr. Evang.* p. 397.
(2) Apud Fabric. Tom. I. Cod. Pſeudep. Vet. Teſt.
(3) Matth. XXIV. 31.
(4) Pſalm. XLVI. 6.
(5) Grot. Comment. ad Matth. XXIV. 31.

Digitized by Google

ciferatio. (1) Prætereo nomen קול, utpote unum ex illis quæ apud Hebræos ſolent ſuperfluere, (2) ſæpius ab ipſis quam par eſt, iccirco ab Helleniſtis φωνὴν, fuiſſe etiam uſurpatum. Uſitatiſſimus denique & Latinis ille dicendi modus. Hieronymus ad Heliodorum: *Tunc ad* VOCEM TUBAE *pavebit terra cum Populis, & tu gaudebis judicaturo Domino*. (3) Certum interim illud eſt, Eraſmum ad Evangeliſtarum teſtimonia, Chriſti Prophetiam de Petri lapſu & lapſus narrationem exhibentia, φωνῆσαι ἐφώνησε, ἂν φωνήσει, vertendum docuiſſe, *ſonuit*, *ſonet*, *non ſonabit*; quæ ad alitem profecto referri nulla ratione poſſunt, ſed ad *Buccinam* modo, quam perſonaturam eſſe Chriſtus prævidebat, ad Concionem in qua judicandus erat convocandum.

LII. Quoniam autem Eraſmi de interpretationibus ſermo intercidit, operæ pretium arbitror illam in examen revocare, quam verbis quibus de agimus olim aſſeruit hic Auctor. Inter Adagia igitur quæ collegit, hanc dicendi poſuit formulam: πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλέκτωρ ἐφθέγγετο. *Antequam Gallus iterum cecinerit*; quod vetere fortaſſe ab aliquo Scriptore, aut perantiquo Adagiorum eruit ex Syllabo. Verum ut opus illud juvenilibus annis ac præcipiti nimium calamo exaravit Eraſmus, Adagium inde illud haud valuit interpretari, incerta modo, aut ſaltem vulgari, dum illud ennarraret, uſus, de Alitis cantu duplici opinione: juxta quam haud etiam videre valeo, quo nam pacto verba poſſent illa conſtituere Adagium. Quam ſatius igitur EFFATUM, PARAEMIA, ſeu VULGATA dici verba illa poterunt LOQUENDI FORMULA, qua, alluſione facta ad morem iterato buccinandi Concionibus cogendis, ſignificare olim Græci voluiſſent: *Antequam res in diſputationem veniat*: *Antequam Judicium de re fiat*: *Antequam Ju-*

(1) Buxtorf. ad ill. voc. in Lexic.
(2) Maſclef. *Gram. Hebr.* Cap. XXIV. Art. 8.
(3) Epiſt. IV. Lib. II. Edit. Canis.

Digitized by Google

Judex damnet: Antequam determinatum quid de re ſtatuatur: Antequam res Judicio committatur publico; aut ſimile quid, in Concione fieri quod ſoleret, ope FORENSIS GALLI, Buccinatoris nempe, aut iterato clangentis Buccinæ convocata? Quod idem demum ſub involucro, ac, *Antequam habeatur Concio*, vel, *Antequam de more forenſis Buccinator Tuba clangat*; ſignum, ut ajunt, pro re ſignata illo in Adagio uſurpantes, unde ex illo etiam conſequatur, fuiſſe Buccinatorem fori GALLUM appellatum. Hoc proculdubio mihi confirmatum videtur vehementer altero ex Adagio, ſeu ex illo Pythagoræ Præcepto, quo ἀλέκτωρ haud aliud quam eum, quo de agimus, Præconem poteſt denotare. Duo hæc nempe, cetera inter, adfert Suidas illius Philoſophi effata: κυάμων ἀπέχεσθαι, Ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ. (1) *A Fabis abſtineto: A Gallo abſtineto albo*. Prioris ſenſum adſequutus eſt optime Plutarchus, abſtinendum interpretatus a ſuffragiis, quæ bicolores revera per Fabas ferebant Athenienſes; (2) eoque ex præcepto derivatum certe Græcorum adagium: Ἵνα μὴ φάγῃ σκόροδα, μηδὲ κυάμους. *Ut neque allia, neque fabas edat*; nempe, ut interpretatur Suidas, (3) *ut neque judicet, neque bellum gerat. Allium enim in bellum ferebant: Judices vero fabas arrodebant, ne abdormiſcerent*. Τουτέστιν ἵνα μὴ δικάσῃ, μηδὲ πολεμήσῃ. εἰς γὰρ τὸν πόλεμον ἔφερον σκόροδα. οἱ γὰρ δικασταὶ ἔτρωγον κυάμους, ἵνα μὴ κοιμηθῶσι. Alterum præceptorum vero, ſeu alteram præcepti partem a priori vix diverſam autumo, aut cum illa prorſus eſſe conſonam. Quis enim exigue adeo eſſe mentis poteſt, Pythagoram ut Gallum album haud attingendum præcepiſſe credat, quod uti Suidas ait, (4) ille Jovi atque Lunæ ſacer eſſet, quod eſſet Nuncius horarum ac diei? Jam enim vero & aliorum eſu pro-

(1) Suid. ad Pythag.
(2) De Liberor. Initit.
(3) Proverb. Cenſ. VII. 96.
(4) In Voc. Pythag.

prohibere debuiſſet animalium, quod aliis eſſent nonnulla Cælitibus ſacrata, uti & ab eſu nigri prohibere debuiſſet ac diverſi-coloris alitis, quod hoſce horas etiam diemque prænunciare videamus. Itaque ſignificare voluit Pythagoras cavendam *Forenſis Galli*, ſeu Præconis vocem atque Tubam; qui enim a ſuffragiis ferendis abſtinendum præcipiebat, potiore jure *Conciones* illas, quas *Forenſis Gallus* convocabat, evitandas monere debuiſſet, quod in illis confuſio maior eſſet ac tumultus, quod in illis facile etiam minus invidia poſſet declinari. *Gallum* autem *album* Pythagoras Præconem appellavit, ut ſic eum ab Gallo alite ſub non difficili involucro elegantiſſime diſtingueret; erat enim albedo, apud Græcos ſaltem, ceu nativus hominis color, qui numquam, aut raro certe in animalibus illis reperitur; unde & adnotum de rebus rariſſimis Adagium: *Gallinæ filius albæ*. Aut forenſem Buccinatorem verius Pythagoras *Gallum album* appellavit, quod alba veſtis apud Græcos Fori veſtis eſſet, & eorum proprie qui in Concionem cogebantur. Ariſtophanes: (1)

οὐ γὰρ ἀλλ' ὑπερφυῶς
Ὡσ' λευκοπληθὴς ἦν ἡκκλησία.

Quippe mirum in modum
Plena hominibus albis Concio erat, ut videre fuit.

Artemidorus vero: *Alba veſtimenta ſolis Sacrificis conferunt, & Servis Græcorum: reliquis turbationes ſignificant, propterea quod hi qui in* FORO *verſantur, albo veſtitu utuntur*. (2) Quæ ad verba ita Octavius Ferrarius: *Illam perturbationem quam talia veſtimenta indicabant, ad Comitia Candidatorum ac prenſantium moleſtias retulit doctiſſimus Rigaltius. . . . Porro ita alba veſtimenta in Græcia vulgo uſurpata, ut veſtis infectæ uſus* IN POPULI CONVENTU, *ac in ſpectaculis legibus eſſet interdictus*. (3) Haud alium igitur ha-

(1) In Concionatricib. 384. 385.
(2) Lib. II. Cap. 11.
(3) Ferrar. *De Re Veſtiar.* P. II Lib. IV. Cap. 13.

Digitized by Google

habere Philoſophi effatum valet ſenſum, quam *abſtineto a ſuffragiis ferendis, abſtineto a Concionibus, quæ Galli albis, forenſibus videlicet, induti veſtibus, hoc eſt,* PRÆCONIS *ope convocantur*. Licet enim Parœmiæ, eo quo efferri ſolent modulo, ænigmaticum quid continere videantur; univerſa ænigmatis tamen ratio in homonymia terminorum, aut in allegorico eorum nexu ſita eſt; unde earum quum vim poteſtatemque perviam Vulgus etiam habere ſoleat, facile, & in loco loquentis conſequitur ideam. Ut igitur Græcorum illud: Δίκην ὑφέξει κἂν ὄνος δάκῃ κύνα. *In jus vocabitur, etſi canem Aſinus momorderit*, uti & Martialis alterum:

Jam dic, Poſtume, de tribus Capellis,

ad animalia non referebantur, ſed ad aliud profecto quid; modi enim erant dicendi, quibus ii ſignificarentur, qui parvam ob rem calumniis petebantur: Ἐπὶ τῆς ἐπὶ μικρῷ συκοφαντουμένων. (1) aut ii qui tricabantur ob inania: ita ſi, auctore Eraſmo, apud Græcos Proverbium fuit, πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλέκτωρ ἐφθέγγετο, hæc verba ad duplicem haud referebantur ſemper alitis illius cantum, ſed allegorice ſignificabant *Antequam bis Tuba clangat qui in Judicium rapit aliquando Buccinator*; ea maxime de cauſſa, quod hujuſmodi in ſenſu verba illa uſurpaſſe Ariſtophanem ſatis oſtenderimus. Quod autem Græcarum genus eſt Parœmiarum, qui uſitatus in Hellade dicendi modus, quo non uſus fuerit popularis ille Comicus? Feſtiviſſimo hoc certe ex Vate eæ omnes videntur derivatæ, quæ in ampliſſimis Zenodoti, Diogeniani, ac Suidæ continentur Collectaneis, uti videre palam eſt ex parallelis Cl. Andreæ Schotti eadem ad Collectanea Scholiis.

LIII. Jam vero ſi in adjecta cetera animum intendimus, quæ Servatoris cum Petro Dialogum reſpiciunt, eruere apertius datum erit, verba Chriſti FORENSEM ad BUCCINAM eſſe in loco referenda. Quid enim Præceptori dicenti,

(1) Diogen. Centur. IV Proverb. 17.

ti, *Antequam Gallus bis cantet, ter me negabis*, Diſcipulus regeſſit? *Etiamſi*, dixit, (1) *oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Novit igitur ſtatim Petrus, ex familiari ac uſitata dicendi formula, exprimere Præceptorem reipſa voluiſſe: *Antequam* FORENSIS BUCCINATOR CONCIONEM *in qua morte damnandus ſum Tuba ſua cogat*; vel; *Antequam Judicium de me in* CONCIONE *fiat*; *Antequam* univerſi Coetus Populi Buccina vocandus *me mortis reum ſtatuat, ter me negabis*. Itaque ad rem iterum Diſcipulus: *Etiamſi* forenſis *illa* Concio *me quoque morti deſtinatum dixerit, & moriendum mihi tecum fuerit, numquam tamen perfidum dicam Sacramentum*. Ad hæc, Judicium illa nocte adverſus Chriſtum imminebat, Magiſtratus erant evocandi, cogendique Judices ac Teſtes; mentionem igitur Præconis debuiſſe fieri par eſt; hujuſcemodi quippe homines habiti fuere ſemper ceu neceſſaria Magiſtratuum Inſignia. Hieronymus ad Ruſticum: *Alii* (de Monachis loquitur præſcriptam juxta formam haud viventibus) *ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes, ſtupentibuſque in terram oculis tumentia verba trutinantur: ut, ſi Præconem addideris, putes incedere Præfecturam*. (2) Immo nullus invenire cum veterum, tum Recentium Populorum erit, apud quem abſque *Præcone* ac *Tuba* factum umquam fuerit, aut Reorum potuerit fieri Judicium. Uſitatiſſimum alludit ad morem, celebre Gregorii Nazianzeni Tetraſtichon:

> Ἀεὶ μὲν ἐργάζοιο τὴν σωτηρίαν·
> Καιρὸς δὲ δὴ μάλιστα, ὁ βίου λύσις.
> Τὸ γῆρας ἦλθεν, ἔξοδον κήρυξ βοᾷ
> Πᾶς εὐτρεπίζου, πλησίον γὰρ ἡ κρίσις. (3)
> *Semper ſaluti tu quidem ſtude tuæ,*
> *Potiſſimum autem, ſub diem vitæ ultimum.*

Ve-

(1) Matth. XXVI. 35.
(2) Epiſt. XIII. Lib. II. Edit. Caniſ.
(3) Tom. Oper. II.

Venit Senectus : exitum Præco clamat.
Parentur omnes : imminet Judex *Deus*.

Quamvis autem Judiciis Judæorum præfuerint Romani, haud eſt tamen cur inde dubitemus, Judæorum BUCCINA fuiſſe hoſce uſos ad convocandum Cœtum univerſum. Locorum quippe Apparitoribus utebantur ubi Jus in Provinciis dicerent Romanorum Præſides. Qui enim Verris in Sicilia adminiſtri, niſi *Siculi Venerii*? Infinitis id patet ex Tullii teſtimoniis. (1) *Argyrinenſes*, inquit ille, (2) *Viri fortiſſimi Judicium ſe paſſuros eſſe dicebant. Ingerebat iſte Artemidorum Cornelium Medicum, Valerium* PRAECONEM, *Tlepolemum Pictorem, & ejuſmodi Recuperatores : quorum Civis Romanus nemo erat, ſed* GRAECI *ſacrilegi jampridem improbi*. Qua in re morum potius, quam Patriæ improbare videtur Tullius conditionem. Romanum igitur Præſidem Reos in CONCIONE Hieroſolymitana damnaturum, veriſimile eſt *Judaorum Buccinatore* uſum fuiſſe ad eam convocandam. Etſi vero Populi & Principum *Conciones* non שׁופרות ſcilicet *Buccinis*, ſed חצוצרות *Tubis* videlicet, convocatas fuiſſe docere poſteriores Judæi videantur, haud erratum tamen a nobis eſt, in limine Commentarii ſtatuentibus, *Tubas* Moſi a Domino præceptas, quibus *Concionem* Populi vocaret, *Buccinas* fuiſſe. Satis id oſtendit doctiſſimus Calmetus. (3) Illud autem nomen quadam factum communione nominum ajunt Sapientes. Docuit me Cl. Ugolinus, (4) hæc Hebræorum in Commentariis haberi: אמר רב חסדא הני תלת מילי אישתני שמייהו מכי חרב ברת המקדש הצוצרתא שופרא שופרא חצוצרתא. *Dicit R. Chiſda; Ecce tria ſunt, quorum nomen immutatum fuit ex quo Templum vaſtatum eſt. Primum eſt quod Tuba clangere vocent nunc buccinare, & buccinare Tuba clangere.* (5) Clan-

(1) Cicer. Lib. II. III. IV. in Verr.
(2) Cicer. Lib. III. in Verr.
(3) Lexic. Bibl. ad Voc. Tub.
(4) Epiſt. ad Auctor.
(5) Gemmar. Schabb. fol. 36. 1.

Digitized by Google

Clangor autem BUCCINAE, ſeu CLANGORIS MODUS, quo cum veteres, tum recentiores etiam Judæi Concioni convocandæ utebantur, ſimplex erat, integer, longus, rectus, protractus, & omnino ſimilis ſtridori Galli Gallinacei; dixerat quippe divinus Moſi Legumlator: *Quando congregandus eſt Populus, ſimplex Tubarum clangor erit, & non conciſe ululabunt*. (1) Modus ille vocabatur תקיעה; unde laudata ad Moſis verba ita ſcribit Abarbanel: והתקיעה מורה על הגבורה והנאחון ולכן בקריאת הנשיאים היתה תקיעה אחת כמצות המלך לשריו. וכן בקריאת העדה. Nempe: *Vox Takiæ denotat ſonum, qui ex unica & continua impulſione aeris in buccis capti, ejuſque in Tubam inflatione conſtat. Sonus hic rectus & longus indicium eſt fortitudinis & victoriæ, & hanc ob cauſſam ſonus rectus adhibebatur in convocatione Principum, eo plane modo ſicut Rex aliquis Principes ſuos cum Tubæ ſonitu vocat; ſic & idem adhibitus in Convocatione integri Cœtus*. Itaque quum ejuſmodi ratione ſonitus Fori Athenienſium Tubicen apud Ariſtophanem ἀλέκτωρ, ejus modus κοκκίζειν dictus ſit, eadem arbitror de cauſſa, perpenſis maxime ceteris adjectis, ἀλέκτορα appellari ſacris ab Scriptoribus potuiſſe Hieroſolymorum BUCCINATOREM atque BUCCINAM, cujus abſque ſonitu coactus numquam Judæorum fuiſſet in Judicium Populus.

LIV. Errarent enim maxime, qui Servatorem legentes damnatum a Pilato POPULUM caſu quodam, aut quadam curioſitate actum, triſti ſpectaculo atque exemplo conveniſſe crederent. Quum enim vetuſtiſſimam Judiciorum formam poſtremo Reipublicæ Judæorum tempore reſtitutam oſtenderimus, conſequi arbitramur ſtatim, UNIVERSI AGMEN POPULI rite & pluſquam Teſtem Judiciis interfuiſſe. Me hic vero munere meo perfunctum quamvis credam, qui ſatis de Populi Judæorum Jure, pro Græcorum moribus obtinente poſtmodum, pertractaverim, vitio tamen

(1) Numeror. X. 7.

men mihi verti poſſe video, quod nihil hucuſque de vexatiſſima Quæſtione dixerim, an videlicet Chriſti mortis tempore, jure gladii gaviſi fuerint Judæi, cujus tamen argumentum ad ea quæ celeberrimo illo in Judicio evenerunt quammaxime duceret enucleanda. Oppoſitas ea ſuper re conciliari poſſe ſententias arbitratus eſt Cl. Bacchinius, qui hæc mihi tranſcribenda habet: „Placet ſen-
„tentia, Synedrium de Criminalibus judicaſſe uſque ad
„Templi excidium, quam noviſſime poſt Eraſtum, Sel-
„denum, Wangenſeilum, alioſque, defendit doctus Scri-
„ptor Antonius Bynæus: *De morte Jeſu Chriſti* Lib. III.
„at placet adhibita duplici diſtinctione. Quatenus ſcili-
„cet ſenſu a Seldeno explicato intelligantur Judæorum
„Magiſtri ſumma concordia Synedrii migrationes a loco
„ſuo narrantes, quarum prior anno quadrageſimo ante
„excidium Templi exciderit & ideo ceſſaſſe criminalia
„Judicia, non quod ablata fuerit a Romanis, coactive
„Judæi a Templi loco migrare, ſed quod libere migrare
„ipſi voluerint, ad libitum etiam illuc pro rerum oppor-
„tunitate reverſuri; & ulterius, quatenus Jus huiuſmo-
„di credatur non omnium criminum cognoſcendorum
„fuiſſe, ſed eorum tantumodo, quæ ex Legis Judaicæ
„intrinſeca forma violata, procedebant, reſervatis Augu-
„ſti Procuratori, quæ immediate majeſtatem, Juſque
„Romanum lædebant. Duplex hujuſmodi jus clare con-
„ſtat ex Evangeliorum hiſtoria, etenim ad Judæorum
„Tribunal reus mortis pronunciatur Chriſtus, quod ſe
„filium Dei dixerit, blaſphemiæ enim crimen ad Syne-
„drium ſpectabat, apud Pilatum vero tamquam Crucis
„reus agitur, quod prohibuerit tributum dari Cæſari, &
„ſeditione in Populo tentata, Regem ſe fieri curaverit,
„quod a Pilato, tamquam Cæſaris Procuratore cogno-
„ſcendum erat. Cum itaque Pilatus Judæis dixit: *Acci-*
„*pite eum vos, & ſecundum Legem veſtram judicate eum*;
„Jus blaſphemi plectendi Synedrio aſſervit; ubi vero Sy-

nedri

Digitized by Google

„ nedri repoſuerunt: ***nobis non licet interficere quemquam***, „ faſſi ſunt nullum ſibi Jus competere de criminibus Au- „ guſti majeſtatem lædentibus cognoſcendis. Cum autem „ a Pilato Chriſtus Auguſtæ, & Romanæ majeſtatis leſæ „ reus eſt pronuntiatus, ſupplicio Crucis addictus eſt, qui „ ſi blaſphemiæ a Synedrio judicatus fuiſſet, non Crucis „ ſupplicio, ſed lapidibus damnatus, contra quod prædi- „ xerat obiiſſet; ideo Johannes a Judæis Pilato dictum, „ *non licet nobis interficere quemquam*, referri debere ad „ Crucis ſupplicium oſtendens, immediate ſubjunxit; *ut* „ *ſermo Jeſu impleretur, quem dixerat, ſignificans, qua* „ *morte eſſet moriturus*, quod Edmundo Meryllo adnota- „ tum in Not. Philol in Paſs. Chriſti. Ob horum Jurium „ diſtinctionem, in Apoſtolorum Actis facile eſt videre, „ ad Synedrii cognitionem deducta, quæ Legem, Numen, „ Templum violatum præferre prætendebantur; ſeditio- „ nes vero & alia Status, ut vocant, rationem tangentia, „ ad Præſidem relata. Paulus etiam, qui apud Tribunum „ ne cæderetur, Lege Portia, aliiſque Romanis; apud „ Synedrium, ne os ſibi percuteretur Anania jubente, „ Lege Judæorum ſe tuebatur, ac ipſe idem, qui tam- „ quam Romanus Civis a Romanis cæſus non eſt; *quin-* „ *quies* Synedrio decernente, *quadragenas plagas una mi-* „ *nus accepit*, ut Judæus. „ (1) Hucuſque doctiſſimus Bacchinius, cujus tamen Syſtema, prima fronte pervium, intime perpenſum tamen, nodum magis implicat, quam ſolvit. Si namque illius temporis Judæis jus gladii fuit adverſus crimina, quæ ex Legis Judaicæ intrinſeca forma violata procedebant; Si Jus Synedrio fuit blaſphemos lapidibus damnandi, cur tot inde ipſis artes atque turbæ, ut Jeſum apud Præſidem mortis reum facerent, ut ipſum Pilatus morte denique afficeret? Potuiſſent namque uti jure ſuo Sacerdotes atque Principes, potuiſſent, ignaro etiam

M 2 Præ-

(1) Diſſert. *De Eccleſ. Hierarch. Originib.* Part. I. Cap. II. n. 16.

Digitized by Google

Præſide, Jeſum, ceu blaſphemum, lapidibus obruere; nec enim illis debere videbatur intereſſe quo mortis plecteretur genere, dummodo eum e medio tollerent, & quomodolibet occiderent. Quinquies ſategit illo Pilatus in Judicio Servatorem ab Judæorum manibus eripere, uti BENEDICTO XIV. Pontifici doctiſſimo animadverſum.(1) Qua igitur ratione primo ipſum intuitu, & facile adeo, Chriſtum Judæis lapidibus tradidiſſe occidendum arbitremur? Curve dum dixerit: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*, Jus blaſphemi MORTE plectendi Synedrio aſſertum a Præſide velimus? Denique quum dixiſſent Præſidi Judæi: *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori: quia ſeipſum Filium Dei fecit*; Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν· (2) conſequi diceretur, eos Jeſum apud Procuratorem Cæſaris, non de iis modo quæ Majeſtatem Principis lædebant, verum & de iis quæ ad Legem ac violatam Religionem pertinere videbantur, accuſaſſe.

LV. Nobis igitur alia placet a mente Bacchinii ſententia, qua diſſentientes inter illo de Jure propemodum Scriptores, ac pronunciata a Pilato ac Judæis, quæ oppoſita videntur, conciliare probe valeamus. Placet, inquam, Judæis jus adhuc gladii fuiſſe, non prorſus tamen liberum; Chriſtumque dicimus a CONCIONE POPULI damnatum, cui tamen præfuerit Pilatus. Hæc autem ut intimius noſcantur, illud pro certo utique habendum, vel ante poſtremam Captivitatem, quum de inſignioribus nonnullis violatæ maxime Religionis Reis damnandis apud Judæos ageretur, convocatam UNIVERSI fuiſſe POPULI CONCIONEM, juſque ipſi POPULO cum Rege ac Synedrio fuiſſe adverſus Reos ſtatuendi. Exemplum eſt in facto Jeremiæ ſub Rege Joachimo; Propheta ſiquidem Hieroſoly-

(1) Enarrat. in Paraſcev. §. CCXLI.
(2) Johann. XIX. 7.

ſolymorum excidium prædicente, *apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ, &* OMNIS POPULUS *dicens: morte moriatur. Et locuti ſunt Sacerdotes & Prophetæ ad Principes, & ad omnem* POPULUM *dicentes. Judicium mortis eſt Viro huic, quia prophetavit adverſus Civitatem iſtam, ſicut audiſtis auribus veſtris. Et ait Jeremias ad omnes Principes, & ad* UNIVERSUM POPULUM *dicens: Dominus miſit me, ut prophetarem ad domum iſtam, & ad Civitatem hanc omnia verba, quæ audiſtis. Ego autem in manibus veſtris ſum: facite mihi quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris.... Et dixerunt Principes &* OMNIS POPULUS *ad Sacerdotes & ad Prophetas: non eſt Viro huic Judicium mortis: quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos. Surrexerunt ergo Viri de Senioribus terræ, & dixerunt ad* OMNEM COETUM POPULI *loquentes &c.* (1) Sacerdotes igitur & Prophetæ reum mortis Jeremiam poſtulaverant: aſt Seniores Populi iniquitatem prioris Judicii in Prophetam lati PRO CONCIONE exponentes, aliorum exempla Prophetarum in medium protulere, qui Oracula in Urbem ac in Templum impune pronunciaverant: unde abrogata ab Principibus Populi, IPSOQUE AB POPULO ſententia. Quæ quidem etiamſi Democraticas magis juxta CONCIONES, quam ad inſtituta Regum videri poſſint perpetrata, eadem nempe juxta noſtrorum politiam perpendenti temporum, ſecus tamen veteres exacta ad mores, & illorum pro conditione Regum, quorum intererat Populos habere aliquando gerendorum conſcios. FORENSES haſce profecto CONCIONES nobis pene omnes veteres exhibent Hiſtoriæ: quare pro illa Judiciorum forma ita Regem inducit ſuum in Argenide Barclajus quoſdam majeſtatis reos comdemnantem: *Sed ut explorata res, adhibitique idonei teſtes, in diverſum abſtracti conduntur in carcerem, & poſtridie ad* PUBLICUM JUDICIUM *trahuntur: ne ſi quæſtio* POPULO TESTE *non habita eſſet: Clientelis & factionibus deinde Reorum tamquam* PARUM LEGI-

(1) Jerem. XXVI. 8. & ſeq.

Digitized by Google

GITIMA *invidioſe traduceretur. Sed quamquam Epeirctanis Civibus Rex fidebat; tamen ad Reorum cuſtodiam Pratoriani cum armis in Foro locati ſunt. Et ex ejuſmodi loco dicenda cauſa erat, unde facile ſi tumultus exarſiſſet, recipi in arcem poſſent, & carceri reddi:* POPULUS IN FORUN PER PRAECONEM EVOCATUS *effuſe convenerat; & ille qui orare in* PUBLICIS JUDICIIS *regias cauſas ſolebat, in hunc ſenſum loquutus eſt. Scire* POPULVM *quanta ipſius charitate Rex flagraret, nec Regem viciſſim dubitare, quin ſit illi chariſſimus. Itaque Eriſthenem, & Oloodemum multorum in ſe ſcelerum reos, quamquam poterat ſuo jure damnare, tamen diſtuliſſe ad* PUBLICOS JUDICES, *ut optimorum Civium ſtudiis potiſſimum vindicetur. Audiret* POPULUS *pro ſe dicentes, & ipſis Judicibus ſua voce praeiret quid de illis ſtatuendum. Triginta tum Judices de rebus capitalibus querebant, ad quos Eriſthene, & Oloodemo productis, accuſator multa eorum in Regem facinora, fidem ſaepe fruſtratam, habita cum Inimicis conſilia, ſtrictim explicuit. Acerbior oratio fuit de veneno, & parata in Regem infamia. Cumque verba, cum teſtes, cum Literas protuliſſet, adeo Epeirctanum* POPULUM *movit, ut nihil expectato Judicio a pleriſque lapidatio urgeretur. Sed deprecatus eſt actor impetum Vulgi, donec Judices in ſuffragia iviſſent.* (1) Quam verus veterum hic eſt Judiciorum conſpectus! Quam belle quid in CONCIONIBUS Rex, Judices POPULUS poſſent repraeſentatum!

LVI. Vetuſtiſſimam hanc autem Judiciorum formam poſtremo, uti dicebamus, Reipublicae Judaeorum obtinuiſſe tempore dubitandum non eſt. Id enim vero ea quam maxime oſtendunt, quae Hyrcano imperante in cauſſa Herodis evenerunt. Vigeſcebat tunc Lex, ne cui etiam nocenti vita eriperetur, niſi Synedrii ſententia comdemnato. Adverſus hanc defecerat Herodes, propter quod facinus, Judaeorum Primores ita eum ante Hyrcanum accuſabant. *Herodes Ezechiam & ejus Socios interfecit contra legem noſtrum*

(1) Lib. Argenid. II.

ſtram, qua hominem quamvis malum interfeci vetat, niſi prius ad hoc ſupplicium ex Synedrii ſententia damnatus fuerit. Ἡρώδης Ἐζεκίαν ἀπέκτεινε καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ παραβὰς τὸν ἡμέτερον νόμον, ὃς κεκώλυκεν ἄνθρωπον ἀναιρεῖν καὶ πονηρὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ συνεδρίου. (1) Hiſce auditis Hyrcano perſuaſum eſt: atque inſuper ejus iram accenderunt Matres occiſorum ab Herode, nam & illæ ſingulis diebus in Templo παρακαλοῦσαι τὸν Βασιλέα, καὶ τὸν δῆμον REGEM ac POPULUM *orare non intermittebant* ut pro factis judicium ſubiret ἐν τῷ συνεδρίῳ IN SYNEDRIO Herodes. His igitur commotus Hyrcanus Herodem evocat ad dicendam ſuper iis quorum inſimulabatur cauſſam. Confirmantur iſta vero vehementer ex iis quæ in Judicio Tyronis evenerunt, quem Filius Herodi, ceu parricidii adverſus Regem, reum accuſaverat. *Herodes*, inquit Pſeudo-egeſipppus, (2) *dubia pro certis adjudicavit, tamquam metuens, ne parricidii ſibi facultas periret. Itaque* CONVOCATO POPULO, *&* CONGREGATIS DUCIBUS, *de inſidiis deprehenſis motu graviſſimo premit querelam, atque in mortem eorum* PLEBEM *excitat: ibique cum filio pariter atque Tonſore, ſaxis ac fuſtibus interficiuntur.* Hiſce pervides igitur ex teſtimoniis & in illa Judæorum politia REGEM JUDICES, ac POPULUM judicium exercentes, ſeu Reges atque Judices in CONCIONE POPULI judicia committentes. Ut enim apud Græcos diſcrimen obtinuit ſemper inter ἀγορὰν ac βουλὴν CONCIONEM nempe POPVLI, & Conſilium Principum; (3) ita apud Hebræos veteres, & poſteriores etiam Judæos SYNEDRIUM inter, ſeu Conſilium Principum diſcrimen fuit, & AGMEN UNIVERSUM: apud utroſque tamen habitum haud ſemel in CONCIONE fuit ipſum Principum conſilium adverſus eos maxime, qui Religionis obtentu turbas in Populo ciere, Gentiſque ſalutem ſuæ ac Libertatem in diſcri-

(1) Joſeph. Flav. Lib. *Antiq. Jud.* XIV. Cap, 9.
(2) Lib. I. Cap. 41.
(3) Dacer. ad Lib. Odyſſ. III.

Digitized by Google

crimen vocare velle credebantur. *Alcibiades aſpergebatur infamia*, inquit in ejus vita Cornelius Nepos, *quod in domo ſua facere myſteria dicebatur, quod nefas erat more Athenienſium, idque non ad Religionem, ſed ad Conjurationem pertinere exiſtimabatur. Hoc crimine in* CONCIONE *ab inimicis compellebatur.... Poſtquam aſtu venit*, CONCIONE ADVOCATA, *ſic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus caſum lacrymarit, inimicumque his ſe oſtenderit, quorum opera Patria pulſus fuerat*. Haud abſimilis vero Chriſti cauſſa videbatur; ſive ejuſdem, etſi perperam, poſtulabatur criminis ab iniquiſſimis Judæis. Quum enim multi eum faciles audirent, *collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent locum noſtrum & Gentem. Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam. Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro Populo, & non tota gens pereat*. (1) Quum vero Judicium illud Paſchalia ante Feſta Pontifices atque Phariſæi expediri cuperent, heinc ea ratione, qua apud Athenienſes, ſi quando Civilia, aut Judicialia quædam, citius quam ſtatis in Concionibus effici datum eſſet, expediri Prytanes poſtularent, POPVLVM repente ſigno TVBAE convocabant; ita & Hieroſolymis peractum; advocata nempe FORENSIS ope GALLI, ſeu BVCCINATORIS CONCIO, cui, ætate Servatoris, poſtquam ſcilicet Judæa fuerat in Provinciam redacta, Regis loco, Romanus Præſes erat, videlicet Proconſul, Principes Populi & Sacerdotes aderant ceu Judices, nempe qui ad ſuprema duo Judicia, Politicum ſcilicet & Eccleſiaſticum ſpectabant; Præſides quoque diverſi ex reſtavrata per Joſaphatum politia, quorum alter לכל רבר יהוה negotiis Divinis, alter לכל דבר המלך (2) Regiis erat negotiis de-

(1) Johann. XI. 47. & ſeq.
(2) II. Paralip. XIX. 11.

Digitized by Google

deſtinatus, quippe cum Juridici, tum Sacerdotales Magiſtratus in unum coaluerant Concilium, manentibus, vel poſt Herodianum priorum excidium, Chriſti in Judicio eorum adhuc Reliquiis, uti ex ipſa Matthæi Hiſtoria colligit *L'Empereur*; (1) (ſicque non de iis modo quæ ad Majeſtatem, ſed & de iis quæ ad violatam pertinebant Religionem, poterat in CONCIONE coram Pilato habita accuſari Chriſtus) convocatus demum aderat pluſquam teſtis repetito TUBAE ſono POPULUS.

LVII. Apertiſſime hæc concipientur vero ea iterum in animum revocanti, quæ de libertate immodica diximus, & effreni veluti licentia popularium hujuſmodi CONCIONUM, apud Græciæ, Aſiæque Populos, & Judæos etiam frequentium. Rem graphice mihi videtur exhibere diligentiſſimus Plutarchus, ubi quærit animi ne an corporis affectiones ſint pejores? „ Videtis ne, inquit, ingentem „ iſtam & promiſcuam hominum turbam, quæ huc in „ Forum & ad Tribunal confluxit? Non hic convenerunt „ ut Diis more majorum colendis rem ſacram facerent, „ non ut gentilibus ſacrificiis communicarent, non ut Jo- „ vi Aſcræo Lydiorum fructuum primitias offerrent, non „ ut Baccho communibus per ſacras noctes Orgiis atque „ bacchationibus & commeſſationibus conſecrarent libum; „ ſed tamquam anniverſariis circuitionibus vigor morbi „ exaſperans Aſiam, huc eos coegit, ut JUDICIA & con- „ tentiones, quibus certus dies conſtitutus, hic peragant. „ Multitudo autem cauſſarum, tamquam fluminum ma- „ gnorum confertim in unum incidit Forum, fervetque „ res, & commiſſa ſunt certamina perdentium & pereun- „ tium. Ὁρᾶτε τὸν πολὺν καὶ παμμιγῆ τοῦτον τὸν ἐνταῦθα συνηραγμένον καὶ κικώμενον ὄχλον περὶ τὸ βῆμα καὶ τὴν ἀγοράν; οὐ θύσοντες οὗτοι συνεληλύθασι πατρίοις θεοῖς, οὐδὲ ὁμογνίων μεθέξοντες ἱερῶν ἀλλήλοις: οὐκ Ἀσκραίῳ Διὶ Λυδίων καρπῶν ἀπαρχὰς φέροντες, οὐδὲ Διονύσῳ βεβακχευμένον θύσθλον ἱεραῖς

 νυξὶ

(1) Annot. ad Cap. XI. *Rep. Hebr.* Bertram.

νυξὶ καὶ κοινοῖς ὀργιάζοντες κώμοις, ἀλλ' ὥσπερ ἐτησίοις περιόδοις ἀκμὴ νοσήματος ἐκτραχύνουσα τὴν Ἀσίαν ἐπὶ δίκας καὶ ἀγῶνας ἐμπροθέσμους ἥκουσιν ἐνθάδε συμβαλεῖν. Τὸ δὲ τῶν πραγμάτων πλῆθος ὥσπερ ῥευμάτων ἀθρόων, εἰς μίαν ἐμπέπτωκεν ἀγοράν, καὶ φλεγμαίνει καὶ συνέρρωμεν ὀλλωύτων τε καὶ ὀλλυμένων. Quamvis vero Romani, rerum tunc temporis in Oriente Domini, illorum Provincias Populorum totidem in CONVENTUS diviſiſſent, probari vix illis tamen poterat tanta in CONVENTIBUS licentia, utpote apud quos Reſpublica numquam fuit omnino Popularis. Itaque illis de Conventibus olim Tullius: *Vetus Græcia hoc uno malo concidit*, LIBERTATE IMMODERATA *&* LICENTIA CONCIONUM, *cum in Theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique conſederant. Quod ſi hæc Athenis accidere ſunt ſolita, quam moderationem putatis in Phrygia, aut Myſia* CONCIONUM *fuiſſe? Noſtras* CONCIONES *illarum nationum homines plerumque perturbant. Quid cum ſoli ſunt ipſi tandem fieri putatis?* (1) Cavebant igitur Romani, ſub Principibus maxime, ne Orientales illi, ſoli eſſent in CONCIONIBUS, ſed eas Præſides Provinciarum ut moderarentur imperabant, ut, ſi forte Concio erumpere in ſeditionem cœpiſſet, & adverſum jus deliberaſſet, tunc pietate gravem & meritis haberent *Virum quem* conſpicientes iram aliquomodo compeſcerent, dum

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet. (2)

Jus ejuſmodi oſtendunt ea quæ in Synedrio evenerunt in cauſſa Jacobi minoris Hieroſolymis coacto. Pontificatum Ananus junior gerebat, ferox quidem ingenio & inſigniter audax, qui opportunum ſibi tempus adeſſe ratus ſæviendi in ceteros, eo quod Feſtus quidem vita ceſſiſſet, Albinus vero in itinere adhuc eſſet, Synedrium cogit, inductoque in Judicium cum quibuſdam aliis Jacobo, in eos, ceu violatæ Religionis reos, quum accuſationem inſtituiſſet,

(1) Orat. pro Flacc.
(2) Virgil. Lib. Æneid. I.

ſet, ſtatim lapidibus obruendos tradidit. Verum, quicumque inter Cives modeſtiſſimi, Legiſque obſervandæ ſtudioſiſſimi, hoc graviter ferentes, Legatos ad Regem miſerunt, hortantes ut Ananum per Literas monere vellent, μηκέτι τοιαῦτα πράσσειν. μηδὲ γάρ τὸ πρῶτον ὀρθῶς αὐτὸν πεποιηκέναι. (1) *ne quid deinceps moliretur ſimile; neque enim illud prius recte, atque jure ab eo factum.* Quin etiam nonnulli eorum Albino, ab Urbe Alexandria iter facienti occurrerunt; *eumque monuere, haud licuiſſe Anano, abſque ipſius conſenſu Synedrium congregare.* καὶ διδάσκουσιν ὡς οὐκ ἐξὸν ἦν Ἀνάνῳ χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσαι συνέδριον. Horum oratione Albinus perſuaſus, Literas Anano furoris & iracundiæ plenas ſcripſit, minatus ſe de illo pœnas ſumturum quam graviſſimas; nec enim ii Romani erant, qui jura Imperii negligere ſoliti eſſent, aut etiam ignorare. Quod ſi abſque Romanorum Præſidum auſpiciis haud poterant Judæorum Pontifices Synedrium convocare, quanto minus abſque eorum auctoritate, ipſiſque minime præſentibus, congregare potuiſſent agmen univerſum? Fas quidem Judæorum erat Sacerdotibus, Concilium abſque Romano Præſide habere; violatæ tamen Religionis reos ad flagella tantum atque citra mortem damnaturis; unde rectiſſime Pilatus, qui Chriſtum morte affectum noluiſſet, *Accipite*, inquit, *eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*, nempe citra mortem. Verum illi quibus animus erat Chriſtum ultimo afficere ſupplicio, *Nobis* regeſſere, *non licet interficere quemquam*; hoc eſt, *nobis habere non licet abſque Te* CONCIONEM *in qua reum mortis ad uſque illam judicemus*. Itaque poſtquam conſilium veluti privatum intra ſe Pontifices egiſſent, *duxerunt illum* (Chriſtum) *in domum Principis Sacerdotum*, atque ex illa, tranſacto temporis intervallo, quod ſigno Tuba dando, cogendæque neceſſarium erat CONCIONI, *ſurgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum, & cœperunt illum accuſa-*

(1) Flav. Joſeph. Lib. *Antiq. Jud.* XX. Cap. 9.

cuſare. (1) Vel ut clarius Marcus: Et confeſtim mane Conſilium facientes ſummi Sacerdotes, cum Senioribus & Scribis, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, *Et univerſum Synedrium*, vincientes Jeſum abduxerunt, & tradiderunt Pilato. (2) Arias Montanus vertit, *Univerſus Conſeſſus*, rectius interpretatum arbitrarer, AGMEN UNIVERSUM: Idem enim aliquando denotare Συνέδριον ac Κοινὸν, videlicet COMMUNE GENTIS Cl. Spanhemio obſervatum, (3) ac ſi diceret: Summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, & POPULO UNIVERSO, deduxerunt Jeſum ad Pilatum. Tunc igitur cœpit *legitima* eſſe CONCIO; aderat quippe Romanus Procurator, aderant Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, aderat jure advocatus BUCCINAE ope POPULUS. Ex apertiſſimo autem Sanctiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. pietate, virtute, atque eruditione juxta admirandi teſtimonio, quod inter cetera quæ adferri poſſent, velut inter ignes Luna minores, eminet, petere inde poſſumus quæ ad rem faciunt, noſtramque illuſtrant aptiſſime ſententiam. Poſtquam enim de iis VIR MAXIMUS dixiſſet, quæ in priore illo privato Pontifices ſtatuerant Conſilio, ita denique proſequitur: *Hæc omnia noctis tempore peracta. Verum quum nocturna* CONCIO *nec* UNIVERSALIS, *nec juxta leges denique fuiſſet; hiſce prohibentibus clam, & nocte judicare; heinc facta luce* UNIVERSALIS CONCIO, *in qua rite judicaretur Chriſtus, convocata eſt*. (4) Reapſe cur *Pilatus convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus &* PLEBE, *dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem Populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam invenio in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis?* (5) Cur dixit, *quid faciam de Jeſu?* Cur reſponderunt illi, *cru-*

(1) Luc. XXII. 54.
(2) Marc. XV. 1.
(3) Diſſert. IX. *De Præſt. & Uſu Numiſm.* num. 5.
(4) Enarrat. in Paraſcev. CCXXIII.
(5) Luc. XXIII. 13. 14.

Digitized by Google

crucifigatur? (1) Cur id, inquam, niſi quod PLEBS etiam illis in Judiciis eſſet convocanda: niſi quod juris aliquid Populus etiam in Judicio poſſideret? Ubi nam *Principes Sacerdotum & Seniores perſuaſerunt* POPULIS *ut peterent Barabbam, Jeſum vero perderent*, (2) niſi in ipſa POPULI CONCIONE? nec enim invenire eſt Pilatum, eſto damnationi Chriſti quoad potuit adverſum, Pontifices illos ac Seniores ſeditionis arguiſſe, quod POPULUM ita adverſus Jeſum concitaſſent: certum, aut ego fallor, indicium fuiſſe univerſa juxta formas ſaltem ſimulata. Voces autem illæ, Hebraizantium ſententia in criminalibus Judæorum Judiciis uſitatæ, quibus *reſpondens* UNIVERSUS POPULUS *dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper Filios noſtros*, (3) quibus *exclamavit ſimul* UNIVERSA TURBA *dicens: Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam*; (4) Pilati voces quibus dixit, *Innocens ego ſum a ſanguine Juſti hujus*. (5) Ejus denique conſilium, quo *volens* POPULO *ſatisfacere dimiſit illis Barabbam, & tradidit Jeſum ut crucifigetur*; (6) hæc, inquam, omnia liquido evincunt, Chriſtum non a Romano modo Præſide, aut Synedrio Judæorum, ſed ab UNIVERSI POPULI CONCIONE magis fuiſſe condemnatum.

LVIII. Oſtenderet enim ſe illarum inexpertem Antiquitatum, qui adverſus ea que docemus obiiceret, Conſilium feciſſe Principes Sacerdotum atque Scribas, *ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent*, dixiſſe vero. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in Populo*: illud etiam ſubdentes: *Et quærebant Principes Sacerdotum quomodo Jeſum interficerent; timebant vero Plebem*: (7) que maxima ex oppoſito eſſe poſſunt opinionis noſtræ fulcimenta. Qua enim ratio-

(1) Matth. XXVII. 22. 23.
(2) Matth. XXVII. 20.
(3) Marc. XXV. 11.
(4) Matth. XXVII. 25.
(5) Matth. XXVII. 24.
(6) Luc. XXIII. 18.
(7) Matth. XXVI. 5.

Digitized by Google

tione timuiſſent homines illi Plebem, niſi fuiſſet illa jure in Judicium evocanda? Moris quippe omnes apud Veteres comperio fuiſſe, ut in maxima hominum frequentia Spectaculorum, vel Solennium aliquando cauſſa convenientium, CAPITALIORA JUDICIA agerentur. In Argenide Barclajus: *Siculi nundinas ad Fori Conventus, & mercatum celebrabant. Tunc Regum edicta vulgari,* TUNC IN SONTES EDICTA CONSTITUI. *Tempus hoc rebus, ſi quæ ſacræ, ſi quæ publici ritus datum. Confluebant in proximas Urbes ex vicinis mapalibus atque vicis, qui vel ruſticis opibus abundabant, vel egebant urbanis. Hæc dies conſtituta Palladis ſacris erat, quo frequentior Populus videret Argenidem.* (1) Quare & frequentiſſimi ex tota Italia homines Comitiorum ac Ludorum cauſſa Romam quum conveniſſent, Orationes habuit adverſus Verem Tullius: *Non committam*, inquiebat, (2) *ut tum res judicetur cum hac frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit, quæ convenit uno tempore undique Comitiorum,* JUDICIORUM, *cenſendique cauſſa. Hujus* JUDICII, *& laudis fructum, & offenſionis periculum, veſtrum laborem ſolicitudinemque noſtram: ſcientiam quid agatur, memoriamque quid a quoque dictum ſit,* OMNIUM *puto eſſe oportere.* Jure igitur ac merito Primores Judæorum, Religionem Judicis ſaltem ſimulare, ac juxta formas procedere coacti, nimium Plebis numerum, & ſolitam extra ordinem coactis in CONCIONIBUS licentiam timeſcebant. Quare Populi adverſus Jeſum Concionem Paſchalibus diebus, quibus univerſa, Religionis ergo, Hieroſolymam aſcendere conſueverat Judæa, haud congregatam voluiſſent; hujuſmodi nempe in CONCIONIBUS REPENTE CONVOCATIS inordinati oriebantur pene ſemper, ac maximi tumultus quos compeſcere facile non erat aliquando: idque convenientibus Urbis modo Incolis. Quid autem futurum fuiſſet univerſo forte Judææ Populo in ἐκκλησίαν evocato? Romani ſtatas odio

(1) Lib. I.
(2) Procem. Act. in Verr.

Digitized by Google

odio habebant, ac conſtitutas a Legibus Græcorum ac Judæorum Conciones. Quanto magis Κατεκκλησίας odiſſe debuerunt, majori videlicet cum feſtinatione ac metu convocatas, majori cum imperitorum hominum frequentia celebratas! Itaque & eaſdem re infecta diſſolvere aliquando ſoliti Præſides illi erant: quum nec minori invidia, aut diverſo laborarent exitu Κατεκκλησίαι hujuſmodi ipſos apud Græcos. Dolebat Æſchines in Oratione de ementita Legatione de illis, qui plures CONCIONES REPENTE CONVOCATAS coacti fuerant inire cum metu ac tumultu, quam a Legibus conſtitutas. Divus autem Lucas, Romani Græcique Juris peritiſſimus, quæ de CONVENTIBUS hiſce adfirmamus, Apoſtolorum in Actis egregie confirmat. ***His auditis***, inquit, (1) *repleti ſunt ira* (Epheſii) *& exclamaverunt dicentes: Magna Diana Epheſiorum; & impleta eſt Civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in Theatrum; Paulo autem volente intrare in Populum, non permiſerunt Diſcipuli. Quidam autem & de Aſia Principibus, qui erant amici ejus, miſerunt ad eum rogantes, ne ſe daret in Theatrum: alii autem aliud clamabant; erat enim* ἡ Ἐκκλησία συγκεκλυμένη Concio confuſa: *& plures neſciebant qua de cauſa conveniſſent.... Et cum ſedaſſet Scriba Turbas dixit: Si Demetrius & qui cum eo ſunt Artifices, habent adverſus aliquem cauſam*, Conventus forenſes *aguntur*, *Proconſules ſunt, accuſent invicem. Si quid autem alterius rei quaritis*, ἐν τῇ ἐννόμῳ Ἐκκλησίᾳ in Legitima Concione *poterit abſolvi. Nam & periclitamur argui ſeditionis hodierna, cum nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus iſtius. Et cum hac dixiſſet dimiſit Concionem*. Haud abſimilem vero exitum illi, quam in Chriſti cauſſa convocare debebant *Concioni* evenire poſſe jure timeſcebant Scribæ ac Phariſæi, id ſi Paſchalibus maxime diebus contigiſſet, quibus non poterat non immenſa eſſe, quæ adeſſe rite voluiſſet hominum imperitorum Turba atque Copia; unde quę fuiſſet

dum

(1) Actor. XIX. 28. ſeq.

dum inciperet *Legitima*, evaderet fortaſſe *confuſa* Concio, quam iccirco, re infecta, tumultum non ferens dimittere pergeret Proconſul, aut ſeditionis argui periclitarentur ipſi, quum nullius reus eſſet Chriſtus criminis, de quo certam poſſent reddere rationem. Quam prope revera fuit, ut indemnato Chriſto, *videns quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret*, (1) Concionem dimitteret Pilatus! Verum poſtulabatur Majeſtatis Redemptor, quique Majeſtatis legem reduxerat Tiberius, erat tunc temporis rerum etiam in Judæa Dominus; univerſa prope Judæorum Gens in Κατεκκλησία illa convocata pene damnationem imperabat: victas igitur dedit manus, eſto ſerius quoad potuit, timidus Proconſul, Jeſumque flagellis cæſum tradidit tumultum jam excitanti in *Concione* Populo ut crucifigeretur. Ad illud autem, qualecumque fuerit, Populi in Concione congregati jus animum ſi intendiſſet Doctiſſimus Bellatus, elegantiſſimæ Orationis ſuæ, quam *Pilati Judicium* appellavit, priori parte contentus, alteram mitigaſſet aliquantum.

LIX. Et ſane, Prophetæ retro etiam rem hujuſmodi prædixere. Nempe ſi ad arcana animum convertimus Oracula, quibus Chriſti Judicium fuit prænuntiatum, eadem *Judæorum Concionem* potius, quam Romanum reſpexiſſe Præſidem, aut eam verius Concionem Judæorum, cui Ethnicus præerat Proconſul, inficari quis poſſit? David inter ceteros, *Aſtiterunt*, inquit (2) *Reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Quæ verba, dum Chriſtum oſtenderet omnes compleviſſe veteris Teſtamenti Prophetias, in rem noſtram commentatur Tertullianus. „ Conſtitutus „ eſt igitur, ait, (3) Dominus in Judicio. Et ſtatuit in „ Judicio Populum ſuum. Ipſe Dominus in Judicium „ ve-

(1) Matth. XXVII. 24.
(2) Pſalm. II. 2.
(3) Lib. IV. contr. Marcion.

Digitized by Google

„ veniet cum Presbyteris & Archontibus Populi ſecun-
„ dum Eſajam. Atque exinde omne Scriptum Paſſionis
„ ſuæ implevit. Aſtiterunt Reges terræ & Archontes
„ congregati ſunt in unum adverſus Dominum, & adver-
„ ſus Chriſtum ejus. Nationes, Romani qui cum Pilato
„ fuerant. Populi, TRIBUS ISRAELIS. Reges, in Herode.
„ Archontes, in ſummis Sacerdotibus.„ Alio vero in loco ut evinceret haud omnia Prophetas per imagines figuraſque concionatos, orationem ad ea quæ de Chriſto prædixere convertens, ait inter cetera: „ Venturum in Judi-
„ cium cum Presbyteris & Archontibus Populi. Nam &
„ tumultuatæ ſunt Gentes in Perſona Pilati, *& Populi me-*
„ *ditati ſunt inania in perſona Iſraelis*. Aſtiterunt Reges
„ terræ, Herodes: & Archontes congregati ſunt in unum,
„ Annas & Caiphas adverſus Dominum, adverſus Chri-
„ ſtum ejus.„ (1) Haud diverſa vero magni Chryſoſtomi interpretatio. *Tradito*, inquit, *& comprehenſo Jeſu libente ac volente, coactum eſt Concilium iniquitate plenum, Judæorum ſimul & Gentilium: vide quomodo id etiam prædixerit Propheta dicens: Quare fremuerunt Gentes, & Populi, meditati ſunt inania?* Προδοθέντος αὐτοῦ καὶ συλληφθέντος ἑκόντος, συνίσταται δικαστήριον πολλῆς γέμον παρανομίας Ἰουδαίων τε καὶ τῶν ἐξ ἐθνῶν· ὅρα πῶς καὶ αὐτὸ προθεσπίζει ὁ προφήτης λέγων, ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη, καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενά; (2) Itaque ſi Prophetarum ab Oraculis erat damnatio Chriſti UNIVERSO POPULO aſſerta, ſi UNIVERSO JUDAEORUM POPULO inlatam ſibi necem exprobrat Meſſias, tanta quum ſequuta ſit ob Chriſti mortem ultio adverſus GENTEM UNIVERSAM, ab UNIVERSI CONCIONE POPULI Chriſtum, par eſt dicere damnatum. Recte Pſeudo-Egeſippus: *Quia igitur* PENE OMMES *Judæi in necem Domini noſtri Jeſu Chriſti unanimiter conſenſerunt, imminente vindicta*, PENE OMNES *a totis regionibus ad Azimorum diem feſtum congregati, bello*

O *ſubi-*

(1) Lib. IV. *De Carn. Reſurrect.*
(2) Lib. adverſ. Jud. & Gentil.

ſubito circumfuſi ſunt: ut primo quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citius fames. (1) Aut ſi non a Populi Concione damnatus fuit Chriſtus, in ipſa tamen certe Judicium ſubiit Populi Concione. Nam etſi haud magis Juris Populo quis apud Judæos poſt Gabinii etiam Magiſtratum, tribuendum autumaret, quam apud

Romanos rerum Dominos Gentemque togatam,

quæ Pſeudo-Egeſippi erat, (2) ac Flavii ſententia, (3) haud perinde ſequeretur tamen haud fuiſſe in Judicio Chriſti CONCIONEM POPULI advocatam, in qua ita denique vel infimi ſe geſſerint Judæi, ut ſi non ſuffragiorum Jure, aſt voto ſaltem, atque precibus damnationem a Præſide extorquentes, ipſius ſe reos conſtituerint. Exemplum in Romanorum Populi Concione ſit, quam Tullius deſcribit. *Ipſe,* inquit, (4) *Cn. Pompejus cum primum* Concionem *ad Urbem Conſul deſignatus habuit, ubi (id quod maxime expectari videbatur) oſtendit, ſe Tribunitiam poteſtatem reſtituturum, factus eſt in eo ſtrepitus, & grata* Concionis *admurmuratio. Idem eadem in* Concione *cum dixiſſet, populatas, vexataſque eſſe Provincias, Judicia autem turpia, & flagitioſa fieri: ei ſe providere ac conſulere velle, tum vero non ſtrepitu, ſed* maximo clamore *ſuam* Romanus Populus *ſignificavit voluntatem.* Idem clamor in *Concione* Judæorum. Tertullianus: *Itaque omnis Synagoga Filiorum Iſrael eum interfecit, dicentes ad Pilatum, quum vellet eum dimittere: Sanguis ejus ſuper nos & ſuper Filios noſtros, & ſi hunc dimittis non es amicus Cæſaris: ut adimpleri poſſent omnia quæ de eo fuerant ſcripta.* (5) Haud abſimilia Sanctus habet Gaudentius ſcribens: *Hunc ergo ab agnis & hædis ſumptum omnis multitudo Synagogæ Iſrael interfecit, cum clamarunt*

omnes

(1) In Anacephaleos.
(2) Lib. I. Cap. 19.
(3) Lib. *Antiq. Jud.* XX. Cap. 8.
(4) Procem. Act. in Verr.
(5) Lib. adverſ. Judæos.

Digitized by Google

omnes Pilato, Crucifige eum. (1) Et rurſus: *Pilato reſiſtenti ne Chriſtum, qui Rex eorum crederetur, crucifigendum pronunciaret, pariter clamaverunt, Nos non habemus Regem, niſi Cæſarem.* (2) Sancti Leonis teſtimonio Judæi Pilatum *expetierunt executorem magis ſententiæ, quam arbitrum cauſæ.* (3) Denique Pſeudo Egeſippus: *Intulerunt itaque* (Judæi) *parricidiales manus atque Auctorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxerunt: reluctantemque cœperunt perurgere Judicem.* (4) Verum ſi a *Populi Concione*, vel in ipſa ſaltem, Chriſtus damnatus eſt, ſi ad vinctum eligendum quem liberari in Paſchate opus erat, cogi debebat Agmen univerſum, illudque non alia convocari ratione poterat, quam repetito *Buccinæ*, ſive *Tubæ* ſonitu, Chriſti verba antequam comprehenderetur, de mox futuris circa ſe loquentis, cum Diſcipulo prolata, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, ſignificent neceſſe eſt: *Antequam* FORENSIS GALLUS, ſive B. CCINATOR *Tuba clangat*; & illa Evangeliſtæ: καὶ ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε, *& ſecunda vice ſignum Buccina, ſive Tuba dedit*; quo conſequatur, tunc etiam temporis forenſi uſos fuiſſe *Buccina* Judæos ad convocandum Agmen univerſum.

LX. Quoniam vero nil adeo ſtabili fixum fundamento eſt, quod oppugnari non videatur poſſe, perviumque magis eſt apta diſſolvere, quam connectere diſſipata, operæ pretium eſt argumento occurramus Viri Cl. adverſus Altmannum, interpretationem quam dedimus verborum Chriſti olim ſuſpicatum, ex Lingua Chriſto vernacula deſumto. *Quis*, inquit, (5) *obſecro ignorat, non id eſſe illud vocabulum* (ἀλέκτωρ) *quod adhibuit Salvator lapſum prædicens Petri, quum non græca Dialecto, ſed ut probabile ſit, Dialecto uſus fuerit Armena*? Quo ſucceſſu ergo, ſubdit,

O 2

(1) Sermon. IV.
(2) Sermon. IX.
(3) Serm. VIII. *De Paſſ. Dom.*
(4) In Anacephaleos.
(5) In Bibl. Hiſt. Phil. Brem. edit. Claſſ. VI. Faſc. 6.

dit, horum locorum explicatio ab ambigua græcæ explicatione vocis deducatur, nemini, ut quidem puto, ignoratum. Eodem enim jure mannæ Amphora, ſi nummis Haſmonæorum ætate cuſis fides eſt, anſata; cujus generis vaſa, ut notum, Græcis ὄνοι dicebantur, uti apud Ariſtophanem ejuſque Scholiaſten, (1) in Sancto Sanctorum adſervata, ex ſolo Græci vocabuli ſignificatu diceretur Aſinus, convicio Gentilium, Judæos illius caput coluiſſe ſomniantium. Haud dubie enim fuiſſe prius oſtendendum, ſubdit, vel haberi in Lingua, quam Chriſto vernaculam arbitramur, verbum ejuſdem atque Græcum homonymiæ, aut adhibuiſſe Servatorem tale verbum, quod *Buccinam* denotaret, vel *Buccinatorem*.

LXI. Quot tamen hoc prorſus arbitraria in Objecto! Cur probabile quippe primum ſit, Servatorem noſtrum Diſcipulo loquentem, uſum Armena fuiſſe Dialecto, quum prope certum apud eos ſit, qui in illorum ſunt Hiſtoria temporum maxime verſati, vernaculam illius Judæorum temporis Dialectum Syriacam fuiſſe? Loco plurium, en unum quidem, ſat idoneum tamen, doctiſſimi videlicet hiſce in rebus Maſclefii, teſtimonium. *Notum eſt*, inquit, (2) *Deum qui in vetere Teſtamento per Prophetas Hebraice locutus fuerat hominibus, in Novo locutum eſſe Syriace in Filio. Erat quippe illa Lingua in Judæa ac Hieſoſolymis in diebus carnis Chriſti* vernacula: *& quamvis Apoſtoli ac Evangeliſtæ, qui Dominum Legem ſuam idiomate Syriaco annunciantem audiverant, Græce ſcripſerint (exceptis, ut Pluribus placet, Matthæo, & Auctore Epiſtolæ ad Hæbræos) fieri non potuit, quin ſcripta ſua innumeris loquendi modis Lyngua Syræ peculiaribus referſerint, uti referta eſſe conſentiunt celeberrimi quique novi Teſtamenti Interpretes. Quæ enim græcè ſcripſerunt Sancti illi Viri, ea prius Syriace conceperant.* Veruntamen majore verſatur in errore Adverſarius,

(1) In Veſp. v. 614.
(2) Præf. ad Gramm. Heb.

Digitized by Google

rius, neque rectum ſtatuit ad Hiſtoriam explicandam effatum; demonſtrandum videlicet fuiſſe prius, vel haberi in Lingua, quam Chriſto vernaculam intelligimus, nomen, ejuſdem ac Græcum homonymiæ, vel adhibuiſſe Divinum Præceptorem tale nomen, quod *forenſi* modo *Buccinæ* eſſet aſſerendum. Hoc enim neceſſe, haud inficior, eſſet, ſi Hebraicum aut Syriacum hodieque haberemus, aut Armenum, aliquo ex Evangeliſta tamen, Domini verborum Textum. Aſt quum Græcus præſto modo ſit, deſideretur etiam hebraicus, uti volunt, Matthæi Codex, haud alia nobis reliqua eſt, ad eruendos Evangeliſtarum, verborumque a Chriſto prolatorum Syrohebraice, aut fortaſſe Armenice ſenſus, via, quam in qua res illæ primum ſcriptæ ſunt greca Dialectus. Nec enim vim habet aliquam Objectum e re, cujus ſignificatum in vetere invenire poſſumus Teſtamento; quam ſane ad explicandam, hebraicas ad voces confugiamus æqui ratio poſtulat: ſecus ubi Græca vox verſio non eſt, ubi hebraicæ voci nullo reſpondet in loco. Sic verba Pſalmi, δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, quæ optime verterat Vulgatus Interpres: *Juſtus ut palma ſlorebit*, ita eſſe intelligenda, adverſus Tertullianum ac Pamelium evincit Cartvvinghtus; Illi quippe quum vocem ambiguam φοῖνιξ, quæ & *Phœnicem* ſignificare valet, & *Palmam*, hocce in loco priorem revocarent ad ſenſum, pervium Cartvvinghto fuit eos dato in teſtimonio interpretationis haud idoneæ arguere, quod iſtinc vox φοῖνιξ hebrææ voci ח מ ר in Bibliis reſpondeat, ubi non *Avem*, ſed *Palmam* denotat reapſe. (1) Verum Evangeliſtarum verba ex oppoſito haud inducta fuiſſe vident omnes, ad effata ſignificanda vetere in Fœdere contenta, aſt ipſa per ſe Textus ſunt, iccirco in examen alterius ad ſtateram Linguæ minus revocanda.

LXII. Quid vero, ſi Græcæ ad homonymiam phraſis auferendam, hebraicam ad phraſim, ipſam quoque homony-

(1) Melliſl. Hebr. Lib. IV. Cap. 10.

nymia laborantem quis confugeret? Diverſo utique nodum ſolvere teneretur gladio. Ita res eſt qua de agimus; uti quippe græca verba cum ad alitis vocem referri poſſunt, tum etiam ad clangentem Fori *Buccinam*; unde ex Loci modo exigentia, ex emphaſi determinari valent, denique ex adjectis, ita Hebræorum verba קודם קריאת הגבר, quæ in Babylonico Codice Joma, *Ante canere Gallum* ſignificant aliquando, denotant etiam tamen, *Antequam Præco convocet*; quod idem apud Hebræos ac, *Antequam Tuba clangat Buccinator*. Et primum quidem, vel in Hebræorum Dialecto, eadem appellatum voce video alitem

Auroram clara conſuetum voce vocare,

Præconemque, ſeu *Buccinatorem*. Ut enim Lexica prætercam in præſens, in quibus nomen גבר Virum non modo, ſed & Gallum Gallinaceum deſignat; fatetur adhuc apertiſſime Relandus, Talmudicos de vi vocum קרא הגבר alios ab aliis diſſentire, quum alii eas per cantum Galli, alii per clangorem a *Buccinatore* factum ex oppoſito interpretentur. In Gemara profecto, recepta adeo eſt poſterior hæc interpretandi ratio, ut verba קרא הגבר explanentur per illa כרז כרוזא *Clamavit Præco*; ſic ut putarint Hebræorum Doctores, Virum illum fuiſſe, qui id muneris habuerit, ut ſigno dato adpropinquantis Auroræ, advenientiſque Lucis admoneret, quique iccirco, uti apud Græcos in voce vidimus ἀλέκτωρ, & apud Latinos in altera *Gallus* oſtendemus, e ſimilitudine quadam, quæ illi hacce erat in parte cum prænuntiante diem alite, apud Judæos etiam *Galli* nomen invenerit. Hanc autem ſententiam confirmat Relandus vehementer, ex nomine Præfecto Portis aperiendis dato בן גבר *Filii Galli*, uti ex Codice liquet in quo agitur de Syclis. (1) In Sacris Bibliis reapſe, illa uſurpatur ſæpiſſime dicendi forma, *Convocatis ad Cœtum* denotandis, uti & *Præconibus*, ſeu Proclamatoribus. Capite ſiquidem primo Libri Numerorum, re-

(1) Orat. *De Gall. cant. Hieroſ. audit.*

recenſitis Tribuum Principibus, ubi in Vulgata legimus: *Hi nobiliſſimi Principes multitudinis per Tribus & cognationes ſuas;* hebraico legimus in Textu: קריאי העדה *Vocati Cœtus;* hoc eſt, uti Buxtorfius ad vocem קרא explicat in Lexico: *Hi ſunt Convocati e Cœtu, nempe tamquam præcipui & celebriores, qui ad Conſilia capienda, & ardua peragenda eligi ſolent*. Apud Danielem vero: וכרו זא קרא *Et Præco clamabat valenter;* (1) nempe, uti apud eundem Buxtorfium, nihil aliud קריאה quam *Proclamatio* eſt, & מקרא *Convocatio*, quorum ex radice nemo non videt, Phraſes, קודם קריאת הגבר & קרא הגבר eſſe derivatas.

LXIII. Ob duplicem vero hujus ſignificationem nominis, Sacrorum etiam Bibliorum teſtimonia nonnulla, & eodem quidem in loco, ad eum alii retulere,

Qui Sidera plauſu
Explodit, vigilique citat Titana canore;

alii vero ſecus. Prioris fuit ſententiæ Hieronymus ad Caput Iſaiæ XXII. 17. edoctus, ut ipſemet teſtatur, ab Hebræo Præceptore ſuo, quum alii omnes, præter Salomonem Iarium, גבר diverſa ratione illo interpretati fuerint in teſtimonio. (2) Exemplis hoc demonſtrari poſſet infinitis, quæ homonymiam vocis proculdubio oſtenderent, de qua diligenter ſatis Bochartus, (3) Lightfootes, (4) Gatakerius, (5) qui & de multiplici verbi קרא ſignificatione erudite diſputavit.

LXIV. Hanc vero ob Orientalium maxime Linguarum naturam, ſive ob frequentiſſimam in hebraica & Græca Lingua homonymiam, haud mirum profecto, ſi qui ad loci exigentiam, ad emphaſim, ad adjecta animum non intenderit, multorum inde in interpretatione nominum errare ſoleat quam facile. Argumentum enim a voce ὄνοι de-

(1) I. Daniel. III. 4. 5.
(2) Druſ. Lib *Obſerv. Sacr.* X. Cap. 8.
(3) Lib. Hieroz. I. Part. II, Cap. 16.
(4) Hor Hebr. in Evang. Joann. Cap. 9.
(5) Adverſar. Miſcellan. Poſth. Cap. XX. XXI.

derivatum noſtram confirmat imo uberrime ſententiam: quippe nec illius homonymia nominis, hebraicæ tantum vi vocis, homonymia eadem laborantis, auferri poſſe videretur. Inquirit Stephanus Morinus, unde Gentium venire potuerit in mentem, Caput Aſininum eſſe Chriſtianorum Deum? (1), rejectiſque Ouzelii, Eraſmi, Tanaquilli Fabri, Gafarelli, Nicolai Tulleri, Bocharti diverſis ea ſuper re ſententiis, conjectationem ſuam ſubiicit hoc pacto: „ Sciendum eodem nomine, & *Urnam*, & *Aſinum* „ dici, & alterum ab altero ſolis apicibus non ſolitis adſcribi diſcriminari; nempe *Urna* dicitur חמר *Chomer*; „ *Aſinus* vero חמר *Chamor*; quin non proprie apicibus, „ ſed fere ſola eorum tranſpoſitione differunt, & adeo leve illud diſcrimen ut vix, ac ne vix quidem a Doctiſſimis Hebræorum obſervetur, imo ipſi illi apices inter ſe „ commutentur. „ Id teſtimoniis confirmat illuſtrioribus Morinus, inde proſequitur his verbis: „ Igitur in confeſſo eſt ex Hebræis, LXX. & eos quos commemoravit „ Kimchius, pro menſura quæ Urna aut *Chomer* dicitur, „ accepiſſe *Chamor*, ſive Aſinum; contra Chaldæus Interpres, Syrus Arabs, & Vulgatæ Auctor Aſinum interpretantur eamdem vocem, & conſequenter utraque ſignificatio poteſt ei merito tribui. Quid igitur proclivius fuit, quam vocem *ambiguam*, & ſecundum quoſdam Aſinum, aut Urnam indifferenter ſignificantem, „ pro Aſino uſurpaſſe, & dixiſſe Aſinum in Sanctuario „ aſſervari & religioſe coli, quia Urna mannæ divinitus „ datæ, ac in æternum hujus doni monumentum aſſervatæ in Sanctuario accurate & religioſe conſervabatur? „ „ Hæc ille. Quamvis vero qui Maſſoretharum decreta amplectuntur, diverſa ex punctatione (uti Pagnini ex Lexico in voce גבר) rem ſatis confici arbitrantur poſſe; neque tamen illa perpetuo recepta, neque omnem aliquando e medio aufert homonymiam; quot enim eadem pun-

(1) Diſſert. VII.

Digitized by Google

puncta habent Maſſorethica diverſis eſto ab Radicibus deſcendant ? Quare ambiguarum in interpretatione vocum Maſclefiana procedendum methodo tantum eſt , exque Loci exigentia, earum ſenſus maxime ſumendus, ex adjectis, ex Hiſtoria , ex natura facti (metaphyſica quidem , ſed vel Maſſorethicis neceſſaria methodo) quod fieri neceſſum erat in vocibus חמר , atque גבר , quod factum a nobis eſt ambiguo in nomine ἀλέκτωρ.

LXV. Sed & Vulgati Interpretis verba : *Antequam Gallus cantet* : & *Gallus cantavit*, *forenſem* ad *Gallum* , nempe ad Præconem , ullo abſque conatu , vique adverſus Interpretis mentem facta, arbitramur eſſe referenda ; *Publicos* videlicet aliquos *Præcones*, pro forenſi quadam dicendi formula , a Romanis etiam dictos fuiſſe ſuſpicamur *Gallos* ; eaque uſos Latinos Scriptores phraſi , ut ſignum denotarent a Præcone factum , quo in Judicium vocaret . Notum enim vero ex Tullii adverſus Piſonem Oratione , hujuſce Avum fuiſſe *Publicum Præconem* . Ita enim contra Piſonem Romanus Orator: *O tenebræ, o lutum , o ſordes ! o paterni generis oblite, materni vix memor ! ita neſcio quid iſtuc fractum, humile, demiſſum , ſordidum , inferius etiam eſt, quam a Mediolanenſi Præcone Avo tuo dignum eſſe videatur* . (1) Quid vero, ſi Præconem illum, *Gallum* etiam Tullius appeller, aut ita vocatum oſtendat? Ita res ſe habet profecto . Ejuſdem ſiquidem in fragmentis Orationis ab Aſconio adſervatis Cluentium Piſonis Avum videmus eo nomine donatum. *Prius enim*, inquit de Cluentio Tullius, *Gallus*. Verumtamen clarius adhuc res hujuſmodi ex ipſa quæ reliqua eſt Oratione conſtat , ubi ita Orator de Piſone: *Bibitur uſque eo, dum de ſolio miniſtretur : ubi Galli cantum audivit , Avum ſuum revixiſſe putat: menſam tolli jubet* . Quis autem , obſecro , ſtatim non videat , hoc Tullium in loco obſcuritatem Generis (antea quod fecerat) exprobrare iterum pergere Piſoni, atque denotare, Avum

P olim

(1) Orat. contr. Piſon. Num. XXVI.

olim ſuum, miſerum fuiſſe *Gallum*, ſeu *Publicum Præconem*? Quî enim Præconem Avum revixiſſe ſuum, audito Galli cantu, exiſtimare debuiſſet Piſo, niſi quod ſignum aliquod a *publico Præcone*, qui *Gallus* diceretur, exaudiſſet factum, quo videlicet aliquam publice horam denotaret, quo ſurgentis Auroræ, exorientiſque Lucis ſignum ſive voce, ſive Tuba daret? Hæc autem Tullii apertiſſimo confirmantur etiam teſtimonio, quod pro L. Murena habuit his verbis: *Sed ut, hoc omiſſo, ad ſtudiorum atque artium contentionem revertamur: qui poteſt dubitari, quin ad Conſulatum adipiſcendum, multo plus afferat dignitatis rei militaris, quam Juris Civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis Conſultoribus reſpondeas: ille, ut eo quo intendit, mature cum Exercitu perveniat. Te* Gallorum, *illum* Buccinarum *cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caves, ne tui Conſultores: ille, ne Urbes, aut caſtra capiantur.* (1) Quis ille, rogo, *Gallorum cantus*, qui Juriſperitum exſuſcitat, niſi ex Plutarchi (Romana ex Hiſtoria, Romanorum ex moribus dicta ſua concinnantis) Plutarchi, inquam, ex teſtimonio, *Præconum clamores in Judicium diluculo vocantium?* Heinc & Venuſini illa: (2)

Agricolam laudat Juris Legumque peritus
Sub GALLI *cantum Conſultor ubi oſtia pulſat.*

Ante nempe Fori aperiendi ſignum, ante Judicialem horam, quo tempore Clientes, ſuos convenire Cauſidicos ſolitos fuiſſe, Romana quis ignorat haud prorſus Hoſpes in Hiſtoria? Adeo verum eſt *Gallum* apud Romanos etiam *canentem*, ſi cum re componatur Judiciaria, *Præconem* ſignificare, tempus denotantem, quod ad Magiſtratus, ad Cauſidicos, adque eos pertinebat omnes, qui in Foro ac Judiciis aliqua verſari ratione cogebantur. Itaque ſi Virum utique forenſem Tullium, ac Horatium, Johannis Eſto-

(1) Orat. pro L. Muren. Num. IX.
(2) Sat. 1.

Digitized by Google

Eſtorii ſententia, (1) egregium æque Juriſconſultum atque Vatem, *Galli* cantum cum hora componentes Judiciaria, forenſi quodam dicendi modo, *Publicos Præcones* denotare voluiſſe ſuſpicamur, cur Vulgatum inde Interpretem, haud ſemel, uti animadvertit celeberrimus Maffejus, (2) dicendi modis omnino forenſibus utentem, Gallique cantum, ante Judicium, ante Concionem convocatam memorantem, *Publicum Præconem* ſignificare voluiſſe dubitemus? curve Græcam potius phraſim Romana interpretatione translatam ab ipſo haud ſuſpicemur, Romanum in Præconem horas vociferatum, elegantiſſime verſum *Buccinatorem* Judæorum, & forenſem eorum *Buccinam* tractam ad forenſe ſignum exorientis Lucis, (quo nempe vocabantur Judices ad Forum) vel ad ſignum adventantis Auroræ Romanorum? Hi quippe diverſos Tubicines proprio ac peculiari videntur appellaſſe nomine. Militarem Buccinatorem *Æneatorem* vocavit Tertullianus de Milite loquens coronato. *Mortuus etiam*, inquit, (3) *Tuba inquietabitur Æneatoris, qui excitari a Tuba Angeli expectat?* CASTRENSI MORE illud prolatum admonent Interpretes. (4) Itaque *forenſi more* prolatum fuiſſe dicendum nomen *Gallus*, Buccinatori Fori apud Latinos denotando.

LXVI. Nil pervium vero magis, quam de origine popularis ſenſus dicere, Evangeliſtarum verbis denique affictι. Quum enim haud multa poſt a Chriſto denato ſecula Barbari Romanum undique pervaſiſſent Imperium, periiſſetque nativus veterum Linguarum ſenſus, evanuiſſe etiam par eſt, mutata maxime Juris dicendi ratione, forenſes illas dicendi formulas, quibus Græci Romanique frequenter utebantur. Topicos imo fuiſſe arbitror ejuſmodi loquendi modos; Athenis videlicet, inque præcipuis uſu habitos

(1) Præf. ad Opuſcul. Hamberger.
(2) *De Pecun. Location.* Lib. I. Cap. 2.
(3) Lib. *De Coron. Milit.*
(4) Rhenan. & Pamel. ad ill. loc.

Digitized by Google

Romanorum Urbibus, ubi majores Magiſtratus eſſent, ubi Jus Præſides Romani dicerent, ubi horæ publice reſonarent. Ceteri igitur Romanum diſtracti per Orbem Chriſtiani, Aſcetæ maxime, qui Chryſoſtomi ætate longe diſſita ab Urbibus & ab hominum frequentia remota incolebant Monaſteria, (1) Præconibus carentes, horas edicentibus, ſignum adventantis Auroræ exorientiſque Lucis a naturali potius quam a *Forenſi Gallo* accipere coacti, vulgarem hunc ad ſenſum verba traxere Evangeliſtarum; ea maxime de cauſſa, quod quarto quintoque a Chriſti ortu ſeculis, bene multi hora illa vigilare adſueti, caſtas effundere etiam preces, & partem noctis labori addere diei, ceu nox peccati, Lux foret Symbolum Juſtitiæ, pias inter quaſdam opiniones de prodigiis, quæ hora Galli cantus aut facta eſſe, aut quotidie etiam fieri ſancta ſibi immaginabantur ſimplicitate Chriſtiani (de quibus fuſe Prudentius, (2) Ambroſius, (3) Iſidorus Peluſiota, (4) alii); quo plus valerent una junctæ myſticæ imagines, Litera ipſos, aut potius homonymia nominum veluti ducente, uti voce alitis, quam noſtri dicebant figuram Judicis, vagantes noctu Dæmonas ajebant exterritos ſparſim timere & cedere, uti Galli aſſerebant cantui Chriſti reditum ex Inferis, ita illi quoque aſſerebant negationis finem & initium Petri pœnitentiæ, unde vulgaris demum interpretatio derivata eſt. Ceterum etiamſi eodem in ſenſu Vulgatus ſcripſiſſet Interpres, in re, in qua (iterum dicimus) non de Dogmate, ſed ſola eſt de Antiquitate Diſputatio, quid aliud querentibus reponere poſſemus, quam quod Hieronymus ad Marcellam ſcripſit, iis reſpondens, qui ſibi obtrectabant, quod quædam ex Novo Teſtamento recepta uſitatiſſime, mutaſſet?

Ad

(1) Chryſoſt. Lib. I. *De Compunction.*
(2) Hymn. ad Gall. Cant.
(3) Lib. V. Cap. XXIV Lib. Hexæmer.
(4) Lib. I. Epiſt. CCCLVII.

Digitized by Google

Ad me perlatum eſt, ajebat Eccleſiæ Doctor Sapientiſſimus, *quoſdam homunculos mihi ſtudioſe detrahere, cur, adverſum auctoritatem Veterum, & totius Mundi opinionem, aliqua in Evangeliis emendare tentaverim. Quos ego cum poſſem meo jure contemnere: (Aſino quippe lyra ſuperflue canit) tamen, ne Nos ſuperbiæ, ut facere ſolent, arguant, ita reſponſum habeant; non adeo me hebetis fuiſſe cordis, & tam craſſæ ruſticitatis (quam illi ſolam pro Sanctitate habent, Piſcatorum ſe Diſcipulos aſſerentes: quaſi idcirco Sancti ſint, ſi nihil ſcierint) ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverimus, aut non divinitus inſpiratum: ſed Latinorum Codicum vitioſitatem, quæ ex diverſitate Librorum omnium comprobatur, ad Græcam originem, unde & ipſi tranſlata non denegant, voluiſſe revocare. Quibus ſi diſplicet fontis unda puriſſimi: cœnoſos rivulos bibant, & diligentiam, qua avium ſilvas, & concharum gurgites norunt, in Scripturis legendis abjiciant; ſintque in hac re tantum ſimplices, ut Chriſti verba exiſtiment ruſticana, in quibus per tanta jam ſæcula tantorum ingenia ſudaverunt, ut rationem verbi uniuſcujuſque magis opinati ſint, quam expreſſerint. Apoſtolum arguant imperitiæ, qui ob multas Litteras inſanire dicebatur...... Revertimur ad noſtras* BIPEDES ASELLOS, *& illorum in aure Buccina magis, quam Cithara concrepamus. Illis placeat humanus ſermo, & omni acceptione dignus: Nos cum Græcis, ideſt, cum Apoſtolo, qui græcè locutus eſt erremus &c.* (1) Quibus tamen additum optamus, Opiniones nos noſtras haud pronunciatas velle ceu ex Tripode effata, ſed immo eaſdem eorum quorum eſt docere ac ſtatuere judicio teſtari libentiſſime ſubjectas.

LXVII. Quonam in loco forenſis Tubicen Judæorum clanxerit ad CONCIONEM POPULI vocandam, primo definire intuitu facile non eſt. In Deſerto quidem, & quum clangendi ritus inſtitutus apud Hebræos fuit, ad oſtium

(1) Lib. I. Epiſt. XLIII. Edit. Canis.

Tabernaculi clangere Buccinatores jubebantur; juxta illud enim Conciones Principum ac Populi peractæ. Templum Tabernaculo ſucceſſit, adeoque, uti majores cauſſæ, quæ, dum ſtetit Tabernaculum, ejus ad oſtium diſceptabantur, actæ demum in Synedrio fuere, videlicet in Templo; (1) ita, quod ad Oſtium Tabernaculi datum *Tuba* fuerit *Concionis* ſignum, ad Templi oſtium dari debuiſſet poſtmodum. Res tamen, ſequuta obſcurior ætatæ, & magis etiam, alibi Synedrio ſedente, quam in Templo, quum *Legitimæ* Judæorum *Concioni* adeſſe Romani conſuevere Præſides. Lucem adferre poſſet aliquam Proverbiorum locus, ſi ad Judæorum, uti arbitror, alluderet Buccinatores. *Sapientia*, inquit illorum Auctor, (2) *foris prædicat, in Plateis dat vocem ſuam: In Capite Turbarum clamitat, in foribus Portarum Urbis profert verba ſua*. Ea enim ratione, eoque ritu, quo Præcones convocare Populum ſolebant, ita hoc Auctorem in loco, Sapientiam ſimulare ſuſpicor congregantem homines, vitæque Præcepta edicentem. Illud autem ad teſtimonium Vatablus hæc habet: „ In Capite tumultuantium בראש הומיות. Sub- „ intellige multitudinum. Alii, in loco editiore Turba- „ rum. Alii, in præcipuis Comitiis. Alii, in Capite Pla- „ tearum, ubi Turbæ ſunt. Portarum שערים ideſt, Ur- „ bium capitur Deuteronomii XII. 12. Alii ſubaudiunt „ *Judicii*, quod in Portis Urbium Judices jus dicerent. „ R. Baynus eundem locum ita commentatur: „ In Capite „ Turbarum; vel in Loco præcipuo & eminentiore, ut „ eſt in Hebreo, ubi ſtrepitus, ſive tumultus; hoc eſt, „ ubi Turba Populi, ut recte vertit Interpres: In Portis „ ſolet eſſe Concurſus Populi intrantium & exeuntivum. „ Multiplici hac autem ex Interpretatione effluere veram poſſe fatebitur quiſquis nobis Ducibus animadvertet, *Græcarum inſtar Concionem* Judaicas, uti oſtendimus, Macha-

(1 Lamy *De Tabern. Fæd.* Lib. IV. VII.
(2) Cap. I. 20. 21.

chabaica poſt tempora, fuiſſe convocatas. Ita vero de illis Ulpianus: Τρεῖς ἐκκλησίαι τοῦ μηνὸς ἐγίνοντο ὡρισμέναι. ἡ δὲ σύγκλητος οὐκ ὡρισμένη. σύγκλητος δὲ ἐκκλησία ἐκλήθη, ἐπεὶ δὴ ἐν τοῖς νομίμοις καὶ συνήθεσιν, ἀφ' ἑαυτοῦ ὁ δῆμος συνέτρεχεν. ὅταν δὲ ἐξ ἀνάγκης τινὸς σύλλογος γένηται, συνεκάλουν τινὲς περιιόντες. (1) *Ternæ ſingulis menſibus ſtatæ Conciones habebantur. Sed* σύγκλητος *non definita erat. Vocata eſt autem Concio* σύγκλητος, *quod in legitimis & conſuetis ultro Populus concurrebat. Cum vero ex neceſſitate aliqua habebatur*, QUIDAM CIRCUIBANT, *atque convocabant*. Hunc vero alludens ad morem, ita ſua in Argenide Barclajus: *Præcones igitur tota Urbe celeriter dimittit, qui Populum ad Concionem urgerent, quam Rex eſſet habiturus*. (2) Itaque definiendum duceremus, ſtatis Judæorum Concionibus cogendis, vel ad Templi oſtium, vel editiore aliquo in loco, eorum Tubicinem clanxiſſe BUCCINA; ad vocandum autem repente Agmen univerſum, inque ſubitariis Concionibus, ipſum circuiſſe crederem, inque Platearum Capite, ubi Turbæ eſſe ſolent, iiſque in locis, ubi frequentior convenire Populus conſuevit, ſignum Buccina dediſſe, ſicque univerſalem omnes ad CONCIONEM convocaſſe. Celeberrimus reapſe Auctor antiquiſſimi Commentarii in Numeros, qui inſcribitur SIPHRI, teſtimonia adfert, quibus admonemur, Miniſtrum Synagogæ, ſumta TUBA, ſummitatem aſcendiſſe Tecti Civitatis editiſſimi, quo ejus clangorem omnes Regionis homines, & etiam Suburbii poſſent exaudire: Ita factum veſpere Sabbati fuiſſe omnibus in Provinciis & Iſraelitarum Urbibus, cum ad homines revocandos a laboribus, tum ad eos etiam ad Synagogam convocandos. (3) Stato igitur convocantes tempore, ſtato etiam ſoliti erant clangere in loco; quod uti in ſacris, ita veriſimile eſt forenſibus fuiſſe in Concio-

(1) Enarrat. in Orat *De falſ. Legat.*
(2) Lib. IV.
(3) Comment. ad Cap. Num. X.

cionibus peractum. Haud ita vero ſubitariis in Concionibus, & extra ordinem coactis. Pſeudo-Egeſippus prodigia memorans, quæ Hieroſolymitanum excidium præceſſere, *Jeſus, quoque*, ſcribit, (1) *Ananiæ filius ruſticula vir, ante annos quatuor quam bellum Judæorum Populus adoriretur, in ſumma pace Urbis & abundantia, cum Scenopegia Sacrificiis ſolennibus celebraretur, Templum aſcendens cœpit clamare: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox ſuper Hieroſolymam, & ſuper Templum, vox ſuper Sponſos & Sponſas, vox ſuper omnem Populum...... Sed ubi flamma cœpit pariter Urbem & Templum involvere, circumjens murum, clamare iterum cœpit; Væ Civitati, Populo, & Templo*. Quis hominem non videat ſtato clamantem in loco, ſtatos æmulatum etiam Tubicinum clangores; circumientem ex oppoſito, ſubito in tumultu, id præſtare voluiſſe, quod ſubitariis in Concionibus Buccinatores Judæorum, qui pro forenſibus Græcorum fortaſſe ritibus circuibant, ubi frequentior Turba erat clangebant BUCCINA, & Populum repente convocabant?

LXVIII. Hæc vero dum veluti αὐτοκέφαλοι Judæi erant, & αὐτοδικίᾳ gaudentes aliqua, apud eoſdem in uſu fuere, ceu adſervata Libertatis veſtigia, quamvis vana prope eſſent, ac viribus deſtituta nomina. Aſt quum veteribus impletis figuris Sceptrum de Juda ablatum fuiſſet, & Dux de femore ejus; quum dirutis demum Hieroſolymis omnem amiſiſſent Judæi non modo ſuccum atque ſanguinem, ſed etiam colorem ac ſpeciem priſtinæ Civitatis, plures diſtractus in Gentes Judaicus Populus haud amplius in legitimam potuit, aut etiam confuſam coire CONCIONEM, iccirco neque uti BUCCINA ad eam convocandam. Tubæ quidem apud Judæos diu poſtmodum in moribus fuerunt, & quidem adeo frequenter, ut Divus Johannes Chryſoſtomus de ſui temporis Judæis quereretur, quod quum omnia amiſiſſent, nil retinuiſſent aliud quam Tubas: πάντα ἀφη-

(1) Lib. V. Cap. 43.

ἀψῖνας, καὶ τὰς σάλπιγγας κατέχεις μόνον. (1) Verum illæ Tubæ, non FORENSES erant, ſed tantum Rituales, eorum in Scenopegiis videlicet ac Celebritatibus adhibitæ. Ceterum, adeo nexus apud Judæos cum Judiciis erat Tubarum ille ſonus, ſive neceſſaria ducebatur adeo ante Judicium qualiſcumque buccinatio, ut & amiſſa omnino Libertate, BUCCINA tamen, ſive TUBA in excommunicationibus uterentur ſuis, proferanturque teſtimonia, in quibus tercentum & quadrigentarum mentio fit BUCCINARUM, quibus una in Excomunicatione clanxerunt. (2) Itaque inter Judicis utenſilia numerabant TUBAS; כלי הדיינין; (2) nam INSTRUMENTUM Judicum, ut liquet, illic fuere מקל רצועה שופרא וסנדלא videlicet, *Virga flagellum, Tuba, & Sandalium*. (3) Quare ſi ærumnis preſſi, & prorſus miſeri Judæi, ſine ſedibus ac Legibus, ſine Templo ac Altare, abſque Sacerdotibus, abſque cæremoniis, ſuis tamen qualibuſcumque in Judiciis haud poterant abſtinere a TUBIS, cur non eiſdem uſos eos arbitremur ad CONCIONEM POPULI *Græcorum more* convocandam, dum ſpecies adhuc veteris Reipublicæ vigeſceret, dum ſacrificio gauderent atque Templo, cujus majeſtas peculiaris ac Religio προσὸδίαν Urbi, Gentique decus atque gloriam conciliabat; dum denique ſuis fruerentur Magiſtratibus ac Legibus, ſuis dum uterentur moribus; quorum unus profecto BUCCINAE FORENSIS uſus erat, aut CONCIONI convocandæ POPULI, BUCCINA, ſive Tuba clangere?

FINIS.

(1) Serm. IV. contr. Judæos.
(2) Lamy Lib. IV. *De Tabern.* lect. IV. Cap. 8.
(3) Lightfoot. Hor. Hebr. *In Matth.* Cap. 6.

Digitized by Google

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
XIII.	8.	hoc nomine de prædicent	vel hoc nomine deprædicent.
XIX.	15.	*effatta*	*effatu*
XIX.	20.	*Sancti*	*Sanctis*
XX.	23.	*forenſis*	*forenſi*
XXIV.	11.	*graviſi*	*gaviſi*
5.	9.	*ad audiendum aliquid, vel denique ad agendum.*	*ad audiendum aliquid, ad orandum, vel denique ad agendum.*
16.	9.	ץצי	עצי
20.	6.	Qintus	Quintus
23.	32.	poſſum	poſſunt
31.	4.	ſorenſibus	forenſibus
33.	16.	Prærorium	Prætorium
41.	30.	affatum	effatum
46.	32.	*Dicideret*	*Divideret*
47.	7.	præcipieſque	percipienſque
52.	29.	nomine	nomina
60.	*in not.*	In Verſ.	In Veſp.
64.	22.	λέθρων	λέκτρων
70.	23.	Βατραχομυομχίας	Βατραχομυομαχίας
75.	26.	Jovem	Ionem
93.	12.	*qua*	*quia*
95.	1.	*interfeci*	*interfici*
96.	32.	רבר	דבר

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Lauro-Maria Piccinelli, Inquiſitor del S. Offizio di Breſcia, nel Libro intitolato: *Caſti Innocentis Anſaldi Ord. Prædic. de Forenſi Judæorum Buccina Commentarius*; non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente, per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore di Breſcia, che poſſi eſſer ſtampato; oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Coppie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Aprile 1745.

[*Gio: Emo Proc. Rif.*
[
[*Marco Foſcarini Cav. Proc. Rif.*

Regiſt. in Libro a carte 4. al n. 25.

Michiel Angelo Marino Segr.

Quæ

Digitized by Google

Quæ apud Typographum proſtant Auctoris Opera.

PatriarchæJoſephi Religio ab criminationibus Baſnagii vindicata Diſſertatio. *Neapoli.* MDCCXXXVIII.

Eadem ab Auctore plurimum emendata & aucta. *Venetiis*. Tom. XXII. Collectionis Calogeranæ.

De Inopia Veterum Monumentorum pro Copia Martyrum dignoſcenda adverſus Doduvellum Diſſertatio. *Mediolani*. MDCCXL.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis ad Carolum Polinum S.Martini Abbatem Libri III. *Mediolani*. MDCCXLII.

De Diis multarum Gentium Romam evocatis Liber ſingularis. *Brixiæ*. MDCCXLIII.

De Martyribus ſine Sanguine altera adverſus Doduvellum Diſſertatio. *Mediolani*. MDCCXLIV.

De Forenſi Judæorum Buccina Commentarius. *Brixiæ*. MDCCXLV.

0655071

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google